This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

A propos de ce livre

Ceci est une copie numérique d'un ouvrage conservé depuis des générations dans les rayonnages d'une bibliothèque avant d'être numérisé avec précaution par Google dans le cadre d'un projet visant à permettre aux internautes de découvrir l'ensemble du patrimoine littéraire mondial en ligne.

Ce livre étant relativement ancien, il n'est plus protégé par la loi sur les droits d'auteur et appartient à présent au domaine public. L'expression "appartenir au domaine public" signifie que le livre en question n'a jamais été soumis aux droits d'auteur ou que ses droits légaux sont arrivés à expiration. Les conditions requises pour qu'un livre tombe dans le domaine public peuvent varier d'un pays à l'autre. Les livres libres de droit sont autant de liens avec le passé. Ils sont les témoins de la richesse de notre histoire, de notre patrimoine culturel et de la connaissance humaine et sont trop souvent difficilement accessibles au public.

Les notes de bas de page et autres annotations en marge du texte présentes dans le volume original sont reprises dans ce fichier, comme un souvenir du long chemin parcouru par l'ouvrage depuis la maison d'édition en passant par la bibliothèque pour finalement se retrouver entre vos mains.

Consignes d'utilisation

Google est fier de travailler en partenariat avec des bibliothèques à la numérisation des ouvrages appartenant au domaine public et de les rendre ainsi accessibles à tous. Ces livres sont en effet la propriété de tous et de toutes et nous sommes tout simplement les gardiens de ce patrimoine. Il s'agit toutefois d'un projet coûteux. Par conséquent et en vue de poursuivre la diffusion de ces ressources inépuisables, nous avons pris les dispositions nécessaires afin de prévenir les éventuels abus auxquels pourraient se livrer des sites marchands tiers, notamment en instaurant des contraintes techniques relatives aux requêtes automatisées.

Nous vous demandons également de:

+ *Ne pas utiliser les fichiers à des fins commerciales* Nous avons conçu le programme Google Recherche de Livres à l'usage des particuliers. Nous vous demandons donc d'utiliser uniquement ces fichiers à des fins personnelles. Ils ne sauraient en effet être employés dans un quelconque but commercial.

+ *Ne pas procéder à des requêtes automatisées* N'envoyez aucune requête automatisée quelle qu'elle soit au système Google. Si vous effectuez des recherches concernant les logiciels de traduction, la reconnaissance optique de caractères ou tout autre domaine nécessitant de disposer d'importantes quantités de texte, n'hésitez pas à nous contacter. Nous encourageons pour la réalisation de ce type de travaux l'utilisation des ouvrages et documents appartenant au domaine public et serions heureux de vous être utile.

+ *Ne pas supprimer l'attribution* Le filigrane Google contenu dans chaque fichier est indispensable pour informer les internautes de notre projet et leur permettre d'accéder à davantage de documents par l'intermédiaire du Programme Google Recherche de Livres. Ne le supprimez en aucun cas.

+ *Rester dans la légalité* Quelle que soit l'utilisation que vous comptez faire des fichiers, n'oubliez pas qu'il est de votre responsabilité de veiller à respecter la loi. Si un ouvrage appartient au domaine public américain, n'en déduisez pas pour autant qu'il en va de même dans les autres pays. La durée légale des droits d'auteur d'un livre varie d'un pays à l'autre. Nous ne sommes donc pas en mesure de répertorier les ouvrages dont l'utilisation est autorisée et ceux dont elle ne l'est pas. Ne croyez pas que le simple fait d'afficher un livre sur Google Recherche de Livres signifie que celui-ci peut être utilisé de quelque façon que ce soit dans le monde entier. La condamnation à laquelle vous vous exposeriez en cas de violation des droits d'auteur peut être sévère.

À propos du service Google Recherche de Livres

En favorisant la recherche et l'accès à un nombre croissant de livres disponibles dans de nombreuses langues, dont le français, Google souhaite contribuer à promouvoir la diversité culturelle grâce à Google Recherche de Livres. En effet, le Programme Google Recherche de Livres permet aux internautes de découvrir le patrimoine littéraire mondial, tout en aidant les auteurs et les éditeurs à élargir leur public. Vous pouvez effectuer des recherches en ligne dans le texte intégral de cet ouvrage à l'adresse `http://books.google.com`

Fr. 5061.1.18

Harvard College Library

FROM THE FUND OF

CHARLES MINOT

(Class of 1828).

Received 28 July, 1892.

LE DRAGON NORMAND

LE

DRAGON NORMAND

ET AUTRES POÈMES

D'ÉTIENNE DE ROUEN

PUBLIÉS PAR

M. HENRI OMONT

ROUEN

CH. MÉTÉRIE, SUCCESSEUR DE A. LE BRUMENT

LIBRAIRE DE LA SOCIÉTÉ DE L'HISTOIRE DE NORMANDIE

RUE JEANNE-D'ARC, N° 11

M DCCC LXXXIV

~~Fr. Hick. 61~~
Fr. 5061.1.18

HARVARD COLLEGE
JUL 28 1892
LIBRARY.

Hoist Fund.

EXTRAIT DU RÈGLEMENT.

ART. 16. — Aucun volume ou fascicule ne peut être livré à l'impression qu'en vertu d'une délibération du Conseil, prise au vu de la déclaration du commissaire délégué, et, lorsqu'il y a lieu, de l'avis du comité intéressé portant que le travail *est digne d'être publié*. Cette déclaration est imprimée au verso de la feuille du titre du premier volume de chaque ouvrage.

Le Conseil, vu la déclaration de M. CHARLES LEGAY, *commissaire délégué, portant que l'édition du* DRAGON NORMAND *et autres poèmes d'Etienne de Rouen, préparée par* M. Henri OMONT, *lui a paru digne d'être publiée par la* SOCIÉTÉ DE L'HISTOIRE DE NORMANDIE, *après en avoir délibéré, décide que cet ouvrage sera livré à l'impression.*

Le Secrétaire de la Société,

CH. LEGAY.

AVIS

—

Pour satisfaire aux nombreuses réclamations qui lui sont adressées, le Conseil d'administration de la Société de l'Histoire de Normandie *se décide à mettre en distribution le présent volume, tout en regrettant très vivement qu'il paraisse sans l'Introduction et les tables, sur lesquelles on comptait.*

Nous rappelerons que l'édition du Dragon normand *fut votée le* 5 *juin* 1882, *sur la proposition de M. Léopold Delisle, et que tout le texte était imprimé dès le mois de novembre suivant. On trouvera dans le Discours prononcé par M. le savant Directeur de la Bibliothèque nationale, comme Président d'honneur de notre Société, le* 2 *juillet* 1875, *une notice, courte mais substantielle, sur Etienne de Rouen, et sur son poème.*

Rouen, le 18 *février* 1884.

PROEMIUM

IN

NORMANNICUM DRACONEM

Ingenii virtus crescit fervore studendi,
Ac studii nimio pressa labore jacet;
Hanc regit, informat, refovet moderatior usus :
Turbat meror, alit (1) gloria, servat amor.
Meror nam letos querit, meditacio jugis :
Discendi studium tristia corda fugit.
Gloria dum sapiens claros conscendit honores,
Stultus et elinguis laudis honore caret.
Sic amor instigat studium, sic fervor amantis
Cogitat id solum quod sibi dulce sapit.
Instruit ingenium tum lectio, tum meditandi
Usus consolidat callidiusque facit.
Efficitur subtile quidem subtilia scrutans,
Gnarus in his solus mentis acumen habet;
Elloquio splendet qui callet in arte loquendi,
Si tamen assuetum servat in arte modum.
Cogitet, inveniat quid cause postulet usus :
Obviet adversis, que sibi justa probet.

(1) *Alte*, dans le ms.

Distribuatque locis discretis queque reperta :
20 Mollia stent mediis, cetera firmet onus.
Sensibus inventis adjungat dicta polita :
Par servetur in his cura decorque modus.
Nil predicta valent memori nisi pectore stringat,
Thesaurus reseret credita jure sibi.
25 Callidus orator post hec pronunciet ore
Quam variis rebus mens sibi clara nitet.
Hac qui parte caret perdit quod in arte laborat,
Respuit auditor quod sibi turpe sonat.
Judicium referens inventis singula penset,
30 Quinque supradictos sumat ab arte modos.
Hec servanda reor causam tractare volenti,
Servet et hoc metri lege poeta novus.
Insita carminibus veterum discernimus ista,
In causis redolent rethoricisque libris.
35 His sine lingua caret verbis ex arte politis,
Nititur hec fari, turbida queque refert.
Gnarus in arte modum tenet, ornat dicta, colores
Spargit, opus librat, singula verba notat.
Turbinis instar habens, indoctus turbida profert,
40 Miscet et involvit quicquid in ore ruit;
Sensum, verba, modum, confundit, congerit, aufert,
Judicioque carens dicere cuncta cupit.
Invenit, exornat, disponit conscius artis,
Hec tria quid valeant judicat idque regit.
45 Excolit ingenium, studium pro viribus arcet,
Plura legit, sensum ruminat, alta subit.
Cernere contendit que sit lux vera sophie :
Deppellit tenebras, pectoris error abit.
Informatque fidem, spem firmat, mundat amorem,
50 Scire suum vite consociare parat.
Utque sapit mores componit, roborat, equat,
Sensu consilii, pondere, jure, modo.

Ingenii vires studiis enixius urget :
Carmine nunc resonat, nunc sibi prosa placet.
55 Dum moror in studiis hec mecum sepe revolvens,
Ex propriis gazis edere pauca libet.
Henrici juvenis, preclari regis in armis,
Materie causam vita tronusque dedit.
Hic breviter tanti describo principis actus,
60 Tum de matre loquor, conjuge, prole, patre.
Altius aggredior Danorum scribere gesta,
Rollonisque ducis prelia celsa cano;
Quis fuerit, qualis, quantus, quam nobilis armis,
Quae sibi gens socii, dicere cordis erit;
65 Que sit et unde, quibus ducibus gens Francigenarum,
Quam sibi dux stravit Danicus ille, noto.
Hastingum refero, primus qui Danica bella
Francorum cuneis intulit atque faces.
Nec taceo quis rex Francorum sceptra gerebat,
70 Ut sibi pax fieret, Rollo quid inde tulit.
Federe pro (1) pacis datur huic Normannica tellus,
Tellus cui Britonum jungitur; idque placet.
Inde duces claros recolo Normannigenarum,
Qui fuerint, quanti, quis sibi finis adest.
75 Insignisque ducis Willelmi prelia narro,
Anglos qui superat, dum diadema capit.
Natorum seriem, moresque, tronumque revolvo :
Dividit his regnum, tuncque beatus obit.
Horum gesta canens, Henrici prelia magni
80 Laudibus eximiis acta referre volo :
Fratrem cum cuneis forti certamine cepit,
Francigenas acies tradidit ille fuge.
Nec regis sileo raptum Stephani diadema,
Quod tamen armorum viribus ipse tulit.

(1) *Quo*. Ed.

85 Innumero (1) regum fuerit successio qualis
Francigenis, ex quo Rollo subacta regit.
Nomina cum gestis horum distinguo quibusdam,
Cum Normannigenis quis sibi pacis amor.
Nec Karolum sileo, Stephanus quem papa sacravit,
90 Cuique patrique suo Francica sceptra dedit.
Italie medio que princeps gessit uterque
Viribus egregiis, hic duo bella fremunt.
Horum progenies Hugonis traditione
Qualiter a regno decidit, inde noto.
95 Regibus his nostris que sit discordia pingo,
Scribitur hinc regis filia nupta viro.
Post geminos refero papas quos Roma creavit;
Concilium geminum rethoris ore cano.
Carminis in calcem mortem describo Mathildis;
100 Ex gemino regum federe finis adest.

(1) *Numero* dans le ms.

INCIPIT LIBER PRIMUS

I. *Generalis de hominum morte prefatio.*

Non genus, aut virtus, non divicie vel honores
Aut mortem superant aut superare valent.
Hoc natura trahit de primi jure parentis;
Labitur hic pomo, quo perit omnis homo.
Rumphea flammigera Christi restincta cruore
Vertitur. Hinc homini jam polus ipse patet.
Pro meritis discretus honor celestia donat,
Exigit hoc vita sexus uterque sibi.
Non animam sexus distinguit : vir mulierque
Sunt anima similes, non ibi sexus inest.
In meritis solis discretio sola tenetur,
Sicque piis studiis vita beata datur.
Mors igitur dum scire facit quid quisque meretur,
Judicii veri jus generale gerit,
Huic requiem tribuit, dat et illi jure laborem :
Dispar vita fuit, nec locus unus erit.
Sic jus, sic ratio meritorum premia pensat,
Singula sic librat, sicque creata regit.

Jus necis omnis homo metuit, tremit imperialis
120 Gloria, nam subicit invida queque sibi.
Pontifici regem sociat, rethorque sophiste
Jungitur, indoctum cum sapiente rapit;
Omnia consumit proprii que juris habentur :
Queque sibi nasci conspicit, illa terit.

II. *De morte Mathildis imperatricis.*

125 Hec floris speciem nostri gemmeque nitorem (1),
Stravit, flos cecidit, splendida gemma ruit.
Imperii splendor, decus orbis, laus mulierum (2),
Mathildis subiit corpore jura necis;
Spiritus ex meritis (3) celesti sede locatus
130 Credo quod eterna luce beatus erit.
Que duo semotis spatiis jam dissociata
Uniet eterni judicis illa manus.
Que cum in propria renovabit climata mundi
Hanc gemina veste vestiet arte nova.
135 Immortalis enim duplici cum dote resurget,
Eterni thalami conscia, mente, fide.

III. *Quod primi Henrici Anglorum regis et Mathildis regine filia fuerit* [*dicta* (4) *Mathildis imperatrix.*] (5)

Hec igitur regis Henrici splendida proles
Moribus et vita consonat ipsa patri.

(1) *Vitorem* dans le ms.
(2) *Anno 1167.* Note marginale.
(3) *Ex imis.* Ed.
(4) *Domina.* Ed.
(5) Les mots entre crochets ont été ajoutés après coup.

Nobilis hanc peperit Mathildis regia conjux,
140 Splendor honestatis conjugiique decus.
Nominis et fidei matri pia subditur heres,
Nata pie matris servat et intrat iter.
Anglia resplendet exortu sideris hujus,
Que si non sidus, sideris instar habet.
145 Nam virtute prius, nunc fame luce (1) coruscat,
In mundo radiat lumine clara novo.

IV. *Quod Henricus imperator hanc in conjugium accepit, et secum Rome diademate coronari fecit.*

Interea magnus Henricus in imperiali
Culmine conspicuus jus dabat omne suis.
Hic Karoli proles Alamannica sceptra tenebat,
150 Mundi Roma caput subdita jura tulit.
Sideris hic nostri fama volitante decorem
Noscit, amat, querit consociare sibi.
Clarior ut claro sit sidere nititur, ardet
Conjugii specimen fretus amore patris.
155 Ostro conspicui, gemmis auroque nitentes,
Legati veniunt, imperiique decus.
Terrarum fines penetrant, et in Anglica regna
Tendentes subeunt regia tecta viri.
Auribus in regis legatos imperiales
160 Affore quis retulit, narrat, adauget opes.
Curia completur comitum procerumque caterva,
Confluit atque simul militis ampla manus.
Assunt legati, dant imperialia jussa,
Applaudunt proceres, rexque, comesque favent.

(1) *Lux* dans le ms.

165 Sicque puella decens Mathildis filia regis
Poscitur, accipitur, conjugioque datur (1)
Ortu, divitiis, comitatu splendida, linquit
Stella solum patrium, redditur atra dies.
Splendidius, fateor, nil protulit Anglica tellus
170 Ingenio, sensu, munere, mente, fide.
Regalis soboles Alamannica regna subintrat.
Hic aquilam natis nidificare vides.
Suscipit Henricus sponsam, secumque (2) coronat,
Hoc insigne decus maxima Roma dedit.
175 Pluribus hec lustris, tanto condigna marito.
Vixit in imperii culmine cara suis.
Ut dominam proceres, ut matrem pauper amabat,
Hos retinet caros, hos pietate fovet.
Que moris probitate nitens et gloria regni,
180 Lux sibi, lux populis ecclesieque fuit.
Non diadema nitens nec opes fecere superbam,
Sed magis urgebant ad pietatis opus.
Floruit imperium sub tanti floris honore,
Dum sibi Mathildem sensit honore parem.

V. *De morte ejusdem imperatoris, et de reditu ipsius imperatricis in Normanniam.*

185 Proh dolor! in tanto dum culmine clara nitescit,
Evacuatur honor, gloria tota ruit.
Cessit enim fatis Henricus in imperiali
Precellens solio, morteque pressus obit.
Hinc Alamannorum meror, Romania tota
190 Turbine ceu venti turbida facta gemit.
Urbibus illatus rumor dum queque pererrat,
Cuncta replet luctu, clade, dolore, metu.

(1) *Scilicet anno 1110.* Note marginale.
(2) *Statimque.* Ed.

Sic decus ille ducum (1), populi lux, splendor in armis,
Solaris radius deficit igne suo.
Invida ve tibi mors! Quid morsu singula stringis?
Vasta lues tantis parce nefanda viris.
Parcere sed nescis; Parcarum fila perurgent;
Et quia non parcunt, parcere seva nequis.
Nunc hos nunc illos subicis, nullumque refutas,
Queque tui juris perspicis, illa trahis.
Imperialis honor tibi subditur, alta potestas
Corruit, inque tuum jus grave victa cadit.
Cur proceres tantos tam parvo tempore sternis?
Cum miser hinc rapitur, quis dolor esse queat?
Cum vero (2) virtute vigens geminave peritus
Rerum notitia tollitur, inde dolor.
Ut domus obruitur cesis fractisque columnis,
Sic ruit hic mundus, morte trahente pios.
Lumine ceu proprio Mathildis sic viduata
Deserit externum corpore corde solum.
Lux redit in patriam, patrium se reddidit in hortum (3)
Flos nitidus, nobis undique spirat odor.
Hanc pater excipiens, nativo germine gaudet,
Morte viri scita condolet inde gemit.

VI. *Quod Gaufridus, consul Andegavensis, eamdem imperatricem, postmodum in matrimonium sortitus sit, et ex ea Henricum regem Anglorum, genuerit.*

Flos juvenum, vis (4) militie, consul probitatis
Andegavensis apex hanc petit, ardet, amat.

(1) *Datum.* Ed.
(2) Le ms. porte *Cum ac;* j'ai adopté la correction du cardinal Maï.
(3) *Anno 1125.* Note marginale.
(4) *Mens.* Ed.

Per se perque suos tum munere tum prece temptat,
Temptat conjugii talis inire decus.
Consulis in tanti manibus datur imperialis
220 Conjux (1) et soboles regia clara satis.
Si diadema micans, si purpura cultibus adsit,
Credas quod maneat gloria prima sibi.
His par nobilitas dum proles regis uterque,
Nulla magis tanto nubere digna viro.
225 Moribus et vite sanguis concordat et etas,
In paribus pariter par honor atque genus.
Ex his rege satis generatur lucifer iste (2),
Qui fremit in mundo viribus, ense, trono.
Gaudet uterque parens exorto pignore tanto.
230 Nec minus in tali sidere gaudet avus.

VII. *De filiorum primi Henrici regis et ipsius morte, et quod ei in imperium nepos ejus Stephanus comes Moritoniensis successerit.*

Hic Gallis bello superatis dum mare sulcat,
Qua vehitur proles obruit unda ratem.
Equoris in pisces catulos transire leonis
Vates insonuit, sors miseranda nimis !
235 In nata natoque suo spes sola relicta,
Cernitur ex uno substituisse duos.
Hic quantus fuerit vivens, in morte cometa
Precinit innumeris irradiata comis.
Comparat hunc vates rugienti jure leoni,
240 Tum quia magnanimus, tum quia terror erat.
Cujus et acta canit quasi jam transacta referret,
Inspicit hoc relegens mystica verba viri.

(1) *Anno 1127.* Note marginale.
(2) *Scilicet Henricus, qui natus fuit anno 1134.* Note marginale.

Defuncti cerebrum, cor, servat Neustria (1) corpus
Anglia ; spiritui sit locus ipse polus.
245 Uniet unius (2) partes tres trinus et unus,
Cernat ut unitus quod sibi constat idem.
Hujus in imperio Stephanus (3) successit in armis.
Egregius consul, regis et ipse nepos.
Huncque suosque novos natos horumque favorem
250 Sublimem fieri vatis in arte (4) vides,
Heres Henrico nisi nate natus et ipsa
Non erat, et natus tempore parvus adhuc.
Sensibus, ingenio, studiis, animi probitate,
Corpore dum crescit, crescit et ipse puer.
255 Letatur genitor, se totum cernit in illum
Vultu, consiliis, moribus, ore, manu.
Hinc mater binos diverso tempore natos (5)
Concipit, hos simili nutrit amore pater.
Hi pariter parili servantur honore parentum,
260 His quia par sensus, par genus, atque decor.

VIII. *De adventu Gaufridi, comitis Andegavensis* (6), *in Normanniam cum exercitu, et quod Rothomagum cepit, Henricum filium suum ducem Normannie fecit, postea Andegavim rediit, nec multo post hominem exuit.* (7)

Interea Gaufridus adest ceu fulmen ab alto,
Neustria concutitur fulgore tacta novo (8).

(1) *Scilicet in Prato.* Note marginale.
(2) *Uniet in unam.* Ed.
(3) *Qui decessit anno 1135.* Note marginale.
(4) *Arce.* Ms.
(5) *Scilicet Gaufridum et Guillelmum.* Note marginale.
(6) *Andegavensis* omis. Ed.
(7) *Exivit.* Ms.
(8) *Scilicet per spatium VIII. annorum. Et paulatim acquisivit castra*

Improvisus enim, ceu venti turbine facto,
Turbat eam per se, per sua, perque suos.
265 Cesaris aggreditur galeatis viribus urbem,
Militis obsistit vis procerumque vigor.
Obvius armatis veniens exercitus urbis
Ceditur et cedit, pellitur, inde fugit.
Demum per gladios, per vim, per tela, per ignem
270 Nobilis urbs capitur, traditur arxque duci.
Dempto sic capitis tanta virtute vigore,
Ex facili subicit cetera membra sibi.
Gallis devictis hanc Cesar condidit urbem,
Milite Romano complet et ornat eam.
275 Nuncupat hanc Rodomum Romanis quod domus extet,
Cesaris hinc Burgus, Julia fitque Bona.
Neustria tota simul superatur, cedit, obedit,
Consulis atque ducis juribus, arte, metu.
Henricus dux efficitur sudore paterno,
280 Andegavi remeat natus et ipse pater.
O violenta nimis, quid agis, mors, invida pestis?
Quid patrie lumen tollere seva cupis?
Rem morti similem quis demonstrare valebit?
Que polus aut orcus suscipit, ista necat.
285 Sublimes, humiles, fortes, castos, sapientes
Obruit, extinguit, comprimit, arcet, habet.
Heu dolor! insignis consul valetudine pressus
Dum sibi succedunt prospera, fata subit (1).
Flos comitum, decus imperii, vis maxima belli,
290 Militie splendor, sensus acutus, obit,

Normanniae. Et anno 1143, redditur sibi Rothomagum. Et sic pro filio suo Henrico obtinet ducatum Normannie. Cui filio facto militi anno 1149. reddidit ducatum tamquam suam hereditatem. Note marginale.

(1) *Scilicet anno 1150.* Note marginale.

Nobilis excelsus (1) juvenis resolutus ad astra,
Labitur, occumbit, deficit, exit, abit.
Spiritus ad requiem transfertur, nam Cenomanis
Inclyta preclari continet ossa viri.

IX. *Quod Henricus dux Normannie et comes Andegavensis post mortem patris in conjugium accepit filiam comitis Pictavensis et ducis Acquitanie, Francorum quondam reginam, totumque comitatum et ducatum ipsius obtinuit; et quod contra Stephanum, Anglorum regem, in Angliam cum exercitu intrav[er]it. Et de Roberto Wischardi. Et de morte Eustachii, filii regis Stephani, et de pace inter regem et ducem, et de morte ipsius regis, et quod eodem anno in Natali Domini, presentibus episcopis et baronibus regni, apud Londoniam* (2) *in regem sacratus sit ab archiepiscopo Cantuariensi Thebaldo, et cum regina diademate tunc primum insignitus.*

295 Dux igitur patrii successor juris et heres,
Matris (3) ad imperium protegit omne solum;
Federis hinc aquilam rupti sibi federat ipsam;
Dux genuit cujus (4), gens Aquitana fuit.
Hinc duplicatur honor, geminatur honore ducatus,
300 Vis animi major quam suus omnis honos.
Consulis atque ducis dux consul honorat honorem,
Quo magis hic crescit, culmine crescit honos,

(1) Le ms. porte *sucessus*.
(2) *Londînum*. Ed.
(3) *Natus*. Ed.
(4) *Unus*. Ed.

Hinc animi feritas, hinc militis anxia virtus,
Hinc trahit, hinc urget quo sua jura petat.
305 Matris (1) ad imperium sibi regnum querit avitum,
Hoc cupit, hoc ardet subdere jure manu.
Instruit inde rates, armatos colligit, instat,
Viribus et ferro fortis ubique leo.
Navali strepitu mare sulcans littora linquit,
310 Ut sibi fata favent, sic polus, aura, canit.
Navibus egreditur galeatus, Julius alter
Fretus militie viribus ense fremit,
Fama volat Normannigenas cum turbine belli
Cum duce moliri vulnera (2), dampna, neces.
315 Vi Normannigenum superabitur Anglica tellus,
Inviolata manent diva statuta sibi.
Belliger insignis Rollo Francos superavit,
Regia cui proles pars patrieque datur.
Hinc ferus et validus Willelmus surgit in armis,
320 Haraldum superat viribus, huncque (3) necat.
Altius insurgens Normanni germinis ardor
Alpes transgreditur, longius arma gerit.
Wiscardus vehemens Sicule telluris (4) in arces
Victrices aquilas inserit, hasque capit.
325 Ut genus, ut virtus, ut honor, Normannica proles
Contulit, instigat, querit et (5) alta petit.

(1) *Natus.* Ms. et Ed. ; mais voyez plus haut, vers 296.
(2) *Vincula.* Ed.
(3) *Hincque.* Ed.
(4) *Scilicet Robertus Wiscardi cum fratribus filiis Tancredi domini de Altavilla prope Constantias, nobilis militis : qui Robertus vi belli fuit dux Apulie et Calabrie. Et Rogerius ejus frater fuit comes Sicilie : eorumque posteritates dicta dominia possederunt de patre in filium, vel eo circa, usque ad Fredericum II, imperatorem, qui a dicto dominio per ecclesiam fuit privatus in concilio Lugdunensi, praesidente Innocentio IIII, anno Domini MCCXLV.* Note marginale.
(5) *Quaeritur.* Ms.

Dux igitur noster, vallatus milite multo,
Anglica pervadit menia, castra, locat.
Hinc acies, hastas, enses, cuneos, grave bellum
330 Ordinat, extollit, nudat, adauget, init.
Dum parat, accelerat, sumuntur vincere bella
Vires, rex Stephanus non minus arma capit.
Hinc (1) natus, probitate vigens armisque peritus,
Colligit armatos undique, cuncta rapit.
335 Vastat cum sociis Edmundi predia regis,
Cernere virtutem martyris ille nequit.
Percussus sentit quod vivat regia virtus,
Sternitur hic lecto, fata repente subit.
Non rex, non proceres, non miles plangere cessat,
340 Hinc dolor hinc luctus tristia corda replet.
Sic sua defendet martyr, vincit sine ferro,
Sicque duci nostro subvenit, immo suo.
Dux indefessus nunc hec nunc occupat illa,
Vi ferri (2) subicit fortia queque potest.
345 Ut valet obsistit comitum procerumque potestas,
Quisque sibi pavidus munit ubique (3) sua.
Conflictus varios, eventus quosque referre.
Non sinit hec brevitas, res vetat ampla nimis.
Pontificum procerumque metus pro pace laborans,
350 Impetrat hanc regi conditione dari.
Dum dolet ex nato, dum deflet, dum timet hostem,
Heredem sibi rex annuit esse ducem.
Condicio tamen hec : viventi sceptra relinquat,
Et regi referat quod mare claudit ei.
355 Pactum firmatur cum concilio generali,
Rex, cetus procerum, cum duce fedus init.

(1) *Huic.* Ed.
(2) *Et ferro.* Ed.
(3) *Utrinque.* Ed.

Ut jus divinum statuit, post tempore parvo
Rex obit, inde duces dant diadema duci.
Montibus instat aper, galeati transvolat umbram;
360 Merlinus merule vocibus ista canit.
Conjuge cum clara primum diademate fulsit
Londonie qua lux celica nata die.

X. *De morte Gaufridi et Willelmi, fratrum ejusdem regis.*

Julius in terris Macedonis astat in armis,
Exprimit iste duos sensibus, ense, manu.
365 Nec minor eloquio, vi mentis, culmine morum,
Ortu, divitiis, nobilitate ducum.
Mundi pars minor huic, fidei sed luce refulget :
Hac superatur ab his, hac superavit eos.
Terror Francigenis (1) galeatus murus in armis,
370 Militie splendor, nobilitatis apex.
Summus ubique leo vi nulla cedere novit,
Fulguris instar habens hostibus ense fremit.
Obtinet hic solus quod jam fuit ac genitoris,
Pictavisque ducis, nec minor ipse tribus.
375 Unit tres unus, sic et tria perficit unum,
Una trium virtus, imperium fit idem.
Quidquid tres probitatis erant, transivit in istum,
Cernitur in tanto vivere quisque trium.
Nomen avi retinens, par sensu, par feritate,
380 Hunc super excellit rebus, honore, trono.
Lux generis proprii toto resplenduit orbi,
Ex atavis hujus par sibi nemo fuit.
Hic Normannigenum rex et dux denus habetur;
Andegavis consul denus et ipse manet.

(1) *Francigenae*. Ed.

385 Perfecto numero, perfecte vir probitatis,
Hos illosque simul claudere dignus erat.
Fratribus hic binis quasi muris jam galeatis
Cinctus, terror erat hostibus, arma suis.
Quis clypeos tales vallatos omnibus armis
390 Flecteret, hos unus si sociasset amor ?
Ingenium speciale tribus sensusque politus,
Artibus hos dederat doctus et ipse pater.
O fortuna gravis, quid tantis floribus instas ?
Matri seva neces ingeris ante necem.
395 Tertia numquid erit rex nidificatio (1) matris ?
Gaudeat, ut vates precinit ille suus.
Gaudet in hoc solo, secuit duo splendida fila
Atropos, hinc flores perdidit ista duos.
Hunc regit, hunc sternit (2) nil sors sua, nil sua fata,
400 Immo Dei nutus hec tenet, illa movet.
Rex superest solus, solamen matris et heres,
Unica vis regni (3) justitieque vigor.
Consulis et regis rapiuntur bis duo nati,
Hosque duo stravit (4) vis violenta necis.
405 Sic bis ternorum (5) tres rediguntur ad unum,
Unus habet quidquid sex habuere simul.

XI. *De morte Willelmi primogeniti filii regis ipsius, et de aliis ejusdem filiis, quidque de ipsis Merlinus prophetaverit.*

In natos vultum transfundit sponsa paternum
Ex duce progenitus primus ad astra meat.

(1) *Moestificatio.* Ed.
(2) *Sternunt.* Ms.
(3) *Regum.* Ed.
(4) *Struxit.* Ed.
(5) *Trinorum.* Ed.

Forte sibi regnum reputaret regius heres
410 Ut manet hic regis natus, et ille ducis.
Transtulit hunc qui cuncta videt, dispensat et arcet,
Nam primogenitum dixerat esse suum.
Innocui corpus sed parvum virginis hujus
Ut tenet hec proavi, clara Radingis habet.
415 Germine consilii germani jam quasi stelle
Resplendent patrie, Neustria nostra nitet.
Hi timor, hi gemitus Gallis, hi flamma futuri,
Clades, bella, dolor, damna, ruina, furor.
Ut balista jacit, muros aries quatit, isti
420 Obvia queque terent, fulguris instar erunt.
Precinit hinc vates, catulos dicitque regentis
Evigilaturos quos modo somnus habet.
Urbes venatum cum viribus ingredientur,
Postponentque nemus, ludus ubique procul.
425 Strages innumeras obstantibus hostibus addent,
Mutus erit taurus, lingua superba ruet.
Hique prement variis tumidorum (1) corda catenis.
Stent ut avita (2) sibi tempora lege pari.

XII. *De expeditione regis Henrici cum maximo exercitu ad Tholosam, et quod ingressum* (3) *in eam regem Francorum obsidere noluerit.*

Tunc si non cessit cedet Tholosa dolosa,
430 Irruet in Francos tunc magis ille furor.
Extitit hec quondam Pictavis subdita nostri
Egidii, consul quam tenet arte dolo.

(1) *Timidorum.* Ed.
(2) *Amica.* Ed.
(3) *Et dum ingressum.* Ms.

Ars, dolus, inconstans, constantia, ni subiisset
Consulis ejusdem jura secunda thori.
435 Nam leo tunc noster magnis hanc viribus urbem
Impetiit, ratio dum sibi jusque favent.
Dum parat ut ferro, balistis, ariete crebro
Aut ruat aut cedat, nuncius inde volat
Regem Francorum, clausum sapienter in urbem,
440 Tela parare, neces, ut soror ipsa jubet.
Rex velut orator legiones convocat, adsunt
Et regni proceres, militieque duces.
Ut genus exposcit cause deliberativum,
Ponit, distribuit, utiliusque legit.
445 Orditur, narrat, confirmat, sicque refutat,
Claudit, et ex istis quatuor, illa regit.
An dominum regem clausum subvertat et urbem,
An vivum capiat, consul et ipsa ruat.
Urgeat an clausos muris ad deditionem,
450 Expectet potius hanc sine rege capi.
Hisque peroratis bis binis, concionator
Epilogo stringit singula, cuncta ligat.
Consulit inde duces, querit, deliberat; ex his
Quatuor, utilius quid sibi quidve suis.
455 Quidlibet ex primis tribus his, vis militis audax
Expetit, hortatur, id feritate cupit.
Ingenium procerum simul experientia rerum
Ut quartum teneat consulit, illud agat.
Regibus Anglorum facinus miserabile, regem
460 Frangere Francorum, deditione premi.
Clausis parcendum, pietatem solvere victis,
Urbem ne repleat planctibus, igne, nece.
Consilio procerum rex regi parcit et urbi,
Pars patrie fuerat jamque subacta sibi.

XIII. *De profectione ejusdem apud Walenses, Anglorum regnum latrociniis et cedibus infestantes.*

465 Advolat hinc, Anglos repetit, Walensibus instat,
Quos dolus, ars, feritas incitat, armat, alit.
Hos indignari socios sibi collaterales
Jungere, letari sanguine, carmen ait.
Subdola gens, fallaxque nimis, sine jure, latenter
470 Occupat, incendit, diripit, audet, habet,
Hec feritate leo quanto propellitur, arcet,
Instat et instigat, cedere victa nequit.
In bellis audax, nec stat truculentior usquam,
Nam bellando mori gloria summa sibi.
475 Dum vastant, cedunt, predantur, regia virtus
Obviat, impellit, proterit, hosque fugat.
Mortibus alternis desudans bellica virtus
Hos illos jaculis vulnerat, ense necat.
Sic sors, sic bellum, nunc hos, nunc obruit illos,
480 Dantque feruntque simul vulnera, tela, neces.
Hostibus ad tempus vix tandem pacificatis,
Partibus in nostris equore vectus adest.

XIIII. *De Francorum gente, quod a Troja in Traciam venerint, urbem Sicambriam sibi fecerint sed post longum tempus per Valentinianum imperatorem bellis plurimis afflicti in Germaniam transierint, Galliam totam occupaverint, nec inde postea ejici potuerint, ideoque Francos quasi feroces eos appellaverint* (1); *qui postmodum,*

(1) *Appellarunt.* Ed.

per Karolum magnum, Italie et Alamannie dominium obtinuerint, et post multa annorum curricula, tempore Karoli Simplicis, Francorum regis, Dani cum exercitu in Franciam venerint.

Francorum feritas Danorum prelia rursus
Concitat, et regem cogit ad arma suum.
485 Horum jam totiens claros experta triumphos,
Hinc retulit nullum jus speciale sibi.
Hos glacialis hiems, borealis nutriit aura,
Frigore durati mollia queque terunt.
Illos meridies solari lumine torret,
490 Jure resolvendo, corpora, mollit eos.
Gallorum vires stravit vis cesariana;
Francigenis nondum Gallia nota fuit.
Trojani belli Francos subversio fudit,
Thracia suscepit, Danubiusque simul.
495 Nobilis urbs fit ab his Sicambria, clara triumphis,
Divitiis, silvis, flumine, vite, situ.
Pluribus hec annis viguit, Valentiniani
Tempus ad usque, sibi subdita, visque sibi.
Nativa feritate potens opibusque superba
500 Tempnit Romulidas, hisque tributa negat.
Strenuus hinc surgit Valentinianus in armis,
Troja progenitos viribus ense petit.
Germinis antiqui memores, cuneis galeatis
Sicambri statuunt prelia, signa, duces.
505 Congressu vario variantur vulnera, strages;
Hic fugit, hic cedit, sternitur, isque ruit.
Sevit vis Teucrum, Romanis cedere nescit,
Gloria Romanos incitat, hosque movet.
Romulidas gnaros bellandi viribus arcent,
510 Pro patria pugnant viribus, arte, manu.

Afflictos demum Teucros, nec jam superatos,
Thracia transmittit, quo sua fata vocant.
Alpibus ascensis, tenet hos Germania, Rhenus.
Hinc Gallos superant, menia, tecta locant,
515 Horrida bella gerunt, sibi subdunt ardua queque;
Hos timet, his cedit Gallica turba ducum.
Roma duces Teucrum, transcensis Alpibus, audit
Gallica regna sibi subdere, bella geri.
Sevit Roma ferox, furit hinc Valentinianus
520 Cesar : quos domuit Roma tenere nequit?
Imperii virtus Romani Gallica tendit
Menia, sic Teucris prelia seva parat.
Montibus inde Jovis, tironibus undique lectis,
Labitur, armato milite cuncta replet.
525 Bellis preteritis Teucrum constantior ira
Omnibus id prefert, vincere sive mori.
Ordine bellorum legiones constituuntur,
Tollitur hinc clamor, personat inde tuba.
Aër densatur telorum turbine multo;
530 Pectora, thoraces, lancea prona subit.
Congeminant ictus, cassis mucrone cruento
Finditur, armorum fulmine bella sonant.
Romani numero, Teucri superant feritate,
Sed numerum feritas detrahit, ense secat.
535 Obstinata furit Trojanae gloria prolis,
Nam subit exilium victa, vel ense necem.
Nil sibi jam medium circumspicit, omnia temptat,
Ut leo jam sevit, ut ferus instat aper.
Estuat, obtruncat, prosternit, fulminat, ardet,
540 Aut Teucri vincent aut morientur ibi.
Sanguinis hinc rivi campos Rhenumque cruentant,
Horribilis strages undique cuncta tenet.
Ut furor hostilis reprimatur, tunc Jovis ales
Altius erigitur, sed furit inde magis.

545 Irruit in signum, stat ibi Valentinianus,
Hic furor Hectoreus vivit et ense micat.
Hic Marchomirus, Sonno, Genebaldus (1) in armis
Ceu tria fulmina stant, ac feritate pares.
Hosque duces Teucrum Sicambria magna refudit,
550 Hi belli rabies, hi probitatis honor.
Intendunt cuneos, aquilam juxta penetrare,
Caesaris hic vite summa necisque manet.
Scinditur inde phalanx, via ferro facta patescit,
Romulidum virtus obstupefacta fuit
555 Prelia turbantur, Teucrum vix sevit (2) et ira,
Diffugiunt acies non sine cede tamen.
Admirans Teucros Cesar Valentinianus,
Dum superare nequit, jam superatus abit.
Nominat hos Francos veluti feritate feroces,
560 Res tulit hoc nomen quod sibi Roma dedit.
Hinc jam Francorum crescit cum nomine virtus,
Et sibi Gallorum subdita regna facit.
Nec contenta suis, Romanos ipsa lacessit,
Ac mundi dominam jam facit esse suam.
565 Hec Karolus magnus mira virtute peregit,
Primus et in Romam Francica signa tulit.
Francos, Romanos, Alamannos possidet unus
Unica vis unum sic, tria regna facit.
Tempore post multo (3) Karolus cognomine Simplex
570 Sceptra gerens Francis imperat hosque regit.
Deliciis mollita suis, que viribus absunt,
Perdiderat geminum Francia clara thronum.
Non jam Romanis regnabat, non Alamannis (4),
Unum quod fuerat ceperat esse duo.

(1) *Gerebaldus.* Ed.
(2) *Finit.* Ed.
(3) *Tempus post multum.* Ed.
(4) *Romanus... Alamannus.* Ed.

XV. *De situ Dacie, et de Lobroco rege ejusdem provinciae, cujus filii Hinguar et Huga* (1) *Angliam cum exercitu intraverint et vastaverint, regem Edmundum peremerint. Et* [*quod*], *in tempore supradicti regis Lobroci, Hastingus, cum filio ispsius regis nomine Bier Costaferrea, cum exercitu Danorum Francie fines ingressus, eamdem vastaverit* (2). *Ad extremum, ut pacem cum Francis haberet, rex Francorum consilio procerum comitatum Carnotensem eidem dedit.*

575 Examen nostrum tunc fudit (3) Dacia tellus;
Vi, probitate, manu, clarius esse nequit.
Continet hec igitur magnas bis quator urbes,
Metropolis Londis, que diadema tenet.
Regalis sedes et regem sola coronat,
580 Tellus dives, at hec frigida vite caret.
Saxonieque comes hunc (4) suscipit inde liquorem;
Partibus ex geminis cingitur ipsa mari.
Argenti puri numismata conficit ipsa,
Exundans opibus, stat sine monte quidem.
585 Pulchra situ, silvisque virens, portuque jocunda,
Piscibus exundat fluminis, inde maris.
Hec geminis telis Francorum perculit urbes;
Nulla sibi fidei luxerat ante dies.
Insignita fide nunc trino servit et uni.
590 Waldamarus ibi regia sceptra gerit.
Rex fuit hic magnus Lobrocus, tempore cujus
Advenit Hastingus, sic simul ipse Bier.

(1) *Hingar et Hugo.* Ed.
(2) *Vastavit.* Ed.
(3) *Fundit.* Ed.
(4) *Hinc.* Ed.

Lobroci natus fuit hic. Hos Dacia misit.
Paulo post socios Rollo sequutus adest.
595 Hingar et Huba (1) simul Lobroci regia proles,
Viribus audaces, sunt probitate pares.
Funus post patrium (2) rex Hungar fratre favente
Arripit arma, rates instruit, unda favet.
Danorum primi gentes alias spoliarunt,
600 Exemplar sociis in feritate pari.
Appulit hec classis Edmundi regis ad urbes,
Has vincit, spoliat, vi, feritate, manu.
Rex igitur regi mandat, nil tale verenti,
Ut tria perficiat vel sibi bella sciat.
605 Thesauros tribuat, diis libet, sceptra sub ipso
Amodo detineat, sicque redibit ovans.
Hinc lento sequitur gressu subcenturiatus,
Estimat id velut est quod vetet ille tria.
Audit et incautum circumvenit (3); undique septus
610 Clauditur, hinc capitur, silva retentat eum.
Ceditur ille, caput capiti Christo sociandus,
Martyris obsequiis hic celebrandus erat.
Hostis discedit. Regem dum turba requirit,
Invenit hic corpus, nec videt illa (4) caput.
615 Longius in dumis illud projecerat hostis,
Nescius abscissum corpore posse loqui.
Flet, gemit, inquirit, circumspicit, omnia lustrat;
Her proprio ritu regia lingua sonat.
Curritur ad vocem notam, caput hic reperitur;
620 Gaudet hic invento, condolet ille neci.
Pars socie parti sociatur, sic sepelitur,
Thesaurus latet hic, nil ibi vermis habet.

(1) *Hugo.* Ed.
(2) *Primus post primum.* Ed.
(3) *Circumdedit.* Ed.
(4) *Ille.* Ed.

Tempore condigno transfertur, et integer extat,
Incorrupta caro undique clamat eum.
Martyris Oswaldi regis caput arcet in ulnis (1)
Cuthbertus similis integritate pari.
Sic Edeldride corpus manet inviolatum,
Ut fuit integra mens, sic viget alma caro.
Jure pari geminos invenit Mediolani
Ambrosius, mirum ! sanguis et unda recens.
Urbibus et villis incensis depopulatis,
Hingar cum sociis in sua jura redit.
Solibus hinc fusis multis, Hastingus in alto
Navigat, et classis bellica multa nimis.
Danus et ipse ferox Francorum diruit urbes,
Carnotum superat, detinet, obstat, habet.
Suscipit hunc laticis fons vivus, crimina delet,
Pluribus hinc annis vixit, et astra petit.
Cum petiit Francos octingentesimus unus
Quinquies et denus luminis annus erat (2).
Francia ter senis bis binis quatuor annis (3)
Pertulit hunc hostem primitus, inde ducem (4).
Hujus tunc numeri fuerat penultimus annus,
Altera cum classis bella secunda movet (5).
Octies a Verbo centenus sicque quaternus,
Septies et denus binus hic annus erat (6).

(1) *Urnis.* Ed.
(2) *Anno* 851. Note marginale.
(3) *Annis* 26. Note marginale.
(4) *Id est comitem Carnotensem.* Note du ms.
(5) *Id est classis Rollonis.* Note du ms.
(6) *Anno* 876. Note marginale.

XVI. *De adventu Rollonis cum Danorum exercitu in regnum Francorum, vivente adhuc Hastingo comite Carnotensi, et de depopulatione eorum.*

Turbine navali Danorum clara juventus
Hinc mare sulcando Francica regna petit.
Hos prius Hastingus, post fulgur Rollo tonantis
650 Duxit, flos juvenum nobilitasque ducum.
Nudatis gladiis Francos galeata juventus
Provocat, invadit, sauciat, hosque fugat.
Urbes ingreditur succendit, depopulatur,
Obstantes subicit, cedibus, igne furit.
655 Quam variis bellis insignis fulserit, hujus
Carminis et brevitas, et locus ipse vetat.
Summa rei, cursu navali cuncta pererrat,
Inspicit, explorat, diripit, ambit opes.
Primitus exurit Nannetum, jamque Britannos
660 Straverat. Arturus nesciit ista geri.
Ad classem remeat spoliis opibusque refertam.
Andegavim tendit, bella cruenta parat.
Armis ornatus variis, exercitus ingens
Classes linquit, init prelia, castra movet.
665 Excipiturque trium comitum bello triplicato,
Quos timor univit, majus ut instet onus.
Belli principio fuit his tam fervida virtus,
Ut classi referat quos vigor ipse tulit.
Inde sub aurora claris structis aciebus
670 Hostes aggrediens, hos necat, hosque fugat.
Andegavim captam Vulcano lambere tradit;
Sublatis opibus, littora cara subit.
Hec agit. Instigat vis (1) celica gnara futuri;
Crimina sic plebis judicat ille parens.

(1) *Mens.* Ed.

675 Audit Pictavim populosam ferrea classis,
Sperat opes, tendit carbasa, currit iter.
Advenit hinc urbem; castellis undique victis (1),
Irruit, obtruncat, diripit, ardet, abit.
Lemovicas itidem simili feritate perurit;
680 Post Noviomenses diruit, igne cremat.
Ad classem remeat, molitur maxima, fidit
Fatis; cuncta sibi prospera, triste nihil.
Armis insignis, Francos petit, Aurelianum
Obsidet, incendit, sola stat aula crucis.
685 Undique bellorum strepitu vallatur et armis,
Simplice cum Karolo Francia tota furit.
Sed simplex animus, pugnandi viribus impar,
Aut ruit, aut cedit, dum feritate caret.
Nuper in auxilium Rollonis classica virtus
690 Venerat a Danis fortis amica ducis.

XVII. *De bello inter Francos et exercitum Rollonis, in quo Karolus a Rollone duce cum suis superatur.*

Ligeris in ripis munita classe relicta,
In Karolum (2) Rollo prelia, tela, movet.
Ordinat instructas legiones, cuncta recenset,
Arma, viros, cuneos, cornua, signa duces.
695 Stans coram cuneis armatus concionatur,
Et patria lingua commonet esse viros.
Demonstrativo generi subjecta pererrat,
Francos vituperat, laudat ubique suos.
Orditur, variis superatis gentibus armis,
700 Plures regna sibi substituisse manu.
Narrat qui Dani, quid querant, quidve laborent,

(1) *Cinctis.* Ed.
(2) *Cum Karolo.* Ed.

Que sibi spes, aut quid prelia tanta gerant.
Confirmat Gallos ut Franci jam superarunt,
Sic sibi Francigenum subdere colla ducum.
705 Confutat quod Francus ait sine diis sibi regnum
Querere, vel quod in hoc jus sibi majus inest.
Concludit gentes alias Francosque petisse
Sedes, divitias; Danus at ista petit.
Hisque peroratis, legionum consonat ardor;
710 Gloria nexve sibi permanet iste dies.
Rex igitur bellique duces Franci galeati
Adversis cuneis hostibus arma parant.
Dissueti bellis et longa pace remissi,
Cum numero superent, par sibi fervor abest.
715 Bellorum virtus est, ut Vegetius inquit,
Militie probitas, non numerosa manus.
O mira feritate viros, mirique vigoris,
Tot cuneos tanta sic penetrare manu !
Bellica vis, animi feritas, sedisque cupido
720 Danorum cuneos edocet, urget, habet.
Horribilis sonitus hinc militis, inde tubarum,
Exoritur, Danus belliger ense fremit.
Arma volant, hinc scuta sonant, lorica calore,
Mollior et cassis spissa cruore madet.
725 Vulnera congeminat Danus, nam cautior armis
Ictu continuo vulnus adauget idem.
Instat Francigenum virtus, impellere classi
Hostiles cuneos; vanus at iste labor.
Hinc violenta phalanx Danorum perforat ense
730 Regales acies, cetera turba ruunt (1)
Quos reperit primos confodit, sevit et arcet,
Nulla quies ferri, cedibus arva calent.

(1) *Ruit.* Ed.

Hic Karolus Simplex, non simplicitate coactus,
Barbaricis armis arva cruenta sinit.
735 Fusis tot Francis, Danos blasphemat eundo,
Hos missos ovibus judicat esse lupos.
Flens detestatur, predones nuncupat, orat
Ut voret hos tellus, fulminet ipse Jovis.
Martyrium tribuit patriam defendere nisis (1);
740 Abstulerant Gallis hanc prius, idque silet.
Francos sic superat Danus, quos Roma nequivit.
His etiam (2) quondam subdita Roma fuit.
Plausibus insultat Danus, spoliisque potitur,
Nobilis iste dies, gloria perpes ei.
745 Dicit Francorum cuneos nunc nosse quid armis
Danus possit, et his amodo notus erit.
Sese Romanis prefert, prefert Alamannis;
Vicerat hos Francus, hic superavit eum,
Vastat et incendit, redit ad navalia, rursus
750 Instruitur classis, non remanebit ibi.
Subdere delegit sibi claram Cesaris urbem,
Hec placet, hanc solam flumine vecta petit.
O violenta virûm virtus! o classis alumna
Belli! Vis animi que fuit ista tibi?
755 Aut tibi per medios Francos victoria summa,
Aut reditus turpis, Cesaris urbe cares.
Quid moror? horribilis vi, ferro, principe classis
Dum Rodomum tendit, subdere cuncta cupit.
Rollo ferus claudi legionibus imperat urbes,
760 Irruit, occidit, concrepat, inde rapit.
Francorum medio Danorum ferrea classis
Transvehitur. Virtus hoc agit alta virûm.
Sequana leta vehit classem; non clarior ulla
Milite, divitiis, ac probitate ducis.

(1) *Visis.* Ed.
(2) *Et enim.* Ed.

765 Dum Rodomum pergit, Belvacum cernere gliscit,
Exit, abit, claudit, diripit, hincque redit.
Sic auro spoliis classis jam tota referta,
Vi sedem faciet, dum timor omnis abest.

XVIII. *De adventu Rollonis cum navali prelio apud Rothomagum, et quomodo urbem intraverit, Francone archiepiscopo obviante pacemque petente.*

Cesaris urbs celebris Romano germine creta
770 A Danis petitur; novit, et arma parat.
Urbs antiqua, potens, populosa, decora, jocunda,
Divitiis pollens, nobilitate, situ.
Labitur hinc fluvius dulcis potuque salubris,
Navigiis clarus, piscibus unda ferax.
775 Desuper adveniens alius decurrit in urbem,
Utilis, at primus undique grana molit.
Hinc alius similis cursum deflectit ab Ortu,
Deserit Occasum tertius, inde fluit.
Fons ortu dubius mediam transcurrit in urbem
780 Et duplici cives utilitate fovet.
Collibus et silvis hinc cingitur, inde nitescit
Fructibus, et pratis stat speciosa satis.
Crescere vix patitur botones (1) frigida tellus.
Munere tam claro Francia servit ei.
785 Menia non recolo, turres portusque relinquo,
Civibus atque locis aura salubris adest.
Urbs igitur florens sibi cernitur esse perhennis,
Dum semper variis affluit ipsa bonis.
Armari socios Rollo jubet, arduus instat,
790 Et classi breviter concionatur ita.

(1) *Boterones*. Ed.

« O socii magni, legionum flos specialis,
Se fore quemque virum nunc meminisse decet.
Quid variis bellis tantos superasse labores
Proderit, optata sede carendo diu?
En Hastingus habet Carnotum, consulis arcem
Obtinet, et Franci jam sine cede favent.
Hic nostri primus generis navalia bella
Francis intonuit, nos imitatur eum.
Fallitur hinc Francus quod nos asciverit idem
Falso culpat eum, nescius ille fuit.
Quinis jam lustris tanta probitate peractis,
Summo cum sociis culmine degit adhuc.
Nec minor in nobis feritas, par fervor ad arma,
Spes eadem, virtus maxima, parque genus.
Nobilis hec tellus, dives, fecunda, decora,
Hec fessis requies; hic habitare libet.
Hujus opes et amor me dudum detinet urbis,
Omnibus ex rebus commodus iste locus.
Hic aliud belli genus est, nam cetera queque
Urere, predari, sternere moris erat.
His tribus amotis, urbem sedem faciamus.
Subdita sit nobis, integra cuncta sibi.
Armis obstantes armis pellamus in urbem,
Cedibus ac (1) multis ingrediamur eam.
Ariete, balistis, superentur Cesaris arces,
Implacidus civis sentiat ense necem.
Substrata nostris tam clara viribus urbe,
Quarum vis minor est flectere colla licet. »
Hinc silet, et clamor legionum fertur ad astra,
Consilium laudat cum probitate ducis.
Sol oritur, rutilis geminatur fulgor in armis,
Cum fluvio tellus irradiata nitet.

(1) *Hanc*. Ms. J'adopte la correction du cardinal Maï.

Imminet hinc urbi, clangorem Rollo tubarum
Imperat audiri, scuta parare jubet.
825 Ordinat inde rates; que vi prestantior, armis
Promptior existit, prima tenere facit.
Precipit hinc alias ferro transmittere pontem,
Civibus ut fessis undique bella gerant.
Armis terribilis classis tunc cernitur urbi,
830 Exerit horribilem bucina multa sonum.
Armati cives densantur littora circum,
Menibus et ferro civis obumbrat opes.
Occupat hinc classis fluvium, pontemque subintrat.
Hic exire ratem nititur, ille vetat.
835 Jungitur urbs fluvio, nec belli stat locus ullus,
Mons tenet hinc Ortum, lambit et unda pedem.
Ni stragem faciat, vel ni succenderit urbem,
Occasum teneat, quo sibi prata virent.
Inspicit id Rollo, monet istos parcere civi,
840 Transvolat hinc pontem, florida prata capit.
Exilit hic legio, tellus tegitur galeatis,
Dum prior arma rapit, stat violenta phalanx.
Prospicit Occasum locus hic, pronus sed amenus
Sub clivo residet fluminis, urbis amor.
845 Perpetuam tenet hic famam, quam Danica virtus
Contulit, et belli nomine prata nitent.
Parce tuis, Rollo; legiones, parcite victis,
Cesaris urbs florens amodo vestra manet.
Hanc (1) vobis Jesus tribuit, cum credat in illum,
850 Non Jovis ipse, fidem cujus habetis adhuc.
Novit quid, quando, quibus et per quos operetur
Pergivil hic semper, mundus et iste suus.
Non sors, non fatum, non constellatio mundi
Res movet aut mutat, sed vigor ipse Dei.

(1) *Hunc.* Ed.

855 Hujus jus patrie vestrun vestrisque futurum
Sic (1) statuit, sic vult, sic jubet ille potens.
Abluat ut novit (2) puri vos unda lavacri,
Inclyta progenies vestra perhennis erit.
Ira, furor, Francos agitabit, tollere querent
860 Belligeris Danis quod Deus ipse dabit.
Aut velit aut nolit, tenet hoc semperque tenebit;
Cum Teucris Dani vivere semper habent.
Dux igitur, classem jam cernens obtinuisse
Flumen, in armatos undique bella movet.
865 Perstrepit urbs plancṭu, miles furit, obstat, et arcet
Civis, et hostilis clamor ad astra volat.
Urbis vis juvenum, gladiis accincta, repente
Menibus egreditur, cum duce prata tenet.
Dux letus sociis captam nunc asserit urbem,
870 Civibus ac sociis (3) « Ingrediamur » ait.
Egressumque globum paulatim cingere jussit,
Undique conclusos agminis ense ferit.
Aut classem repetas, aut vincas, aut moriaris,
Dane ferox, urbem scito sed esse tuam.
875 Nascitur hinc bellum, cives hic pellit in urbem,
Ut classem repetat, cogitur ille suam.
Hic fugit, hic cedit, ruit hic, collabitur ille,
In chalybem gladius figitur, igne micat.
Ast aliud bellum fit ubi pons jungitur urbi,
880 Hoc illoque loco Danus in arma furit.
Fessi jam cives que Rollo prata tenebat
Linquunt, arma tegunt qui periere nece.

(1) *Hic.* Ed.

(2) A *novit* le cardinal Maï a substitué *noviter* mais la correction n'est pas nécessaire. Il faut traduire : dès que le Tout-Puissant sait que l'eau du baptême vous lave, votre illustre race sera perpétuelle.

(3) *Associis.* Ms.

Rollo furens urbem consertus civibus intrat,
Cives diffugiunt, planctus ubique sonat.
885 Terrent hec alios pugnantes littore, cedunt,
Insequitur Danus, menia capta tenet.
Mucronem metuens civis consentit, obedit.
Arcibus hinc captis, Rollo subacta regit.
Gazas multimodas Danus deportat in urbem,
890 Membra quies refovet; jam labor omnis abest.
Principis ex jussu combustum, depopulatum,
Cesum nil fuerat, urbsque subacta tremit.
Omnibus ad votum rebus jam Rollo peractis,
Urbes contiguas occupat, implet, habet.
895 Castellis, villis, superatis, cetera queque
Distribuit sociis, urbibus hosque locat.
Obvius exierat presul Franco galeatis,
Reddidit hos mites pacificosque sibi.

XIX. *Quod postquam Rollo Rothomagum cepit, Karolus rex cum Francis consilium habuit. Hastingum Danum, Carnotensem comitem, ob lingue peritiam, cum Rainaldo, Francorum dapifero, et exercitu ad colloquium Rollonis misit. Rollo cum suis castellum Archas* (1) *veniens, se a Francis nihil tenere* [*dixit*]. *Post colloquium ab ipsis lacessitus, Rollandum, non illum Karoli magni ducem, cum aliqua exercitus parte peremit. Hastingus cum Rainaldo principe fugiit; Rollo rediens Mellentum cum exercitu venit, ibique iterum Rainaldus cum exercitu Francorum: commissoque prelio, Rainaldum Rollo cum plurimis*

(1) *Id est pontem Archæ.* Glose interlinéaire.

Francorum interemit. Hinc Parisius obsedit; sed Francis pacem petentibus, ab obsidione cum suis recessit.

Intonuit Francis captam jam Cesaris urbem;
900 Imperat his Rollo sedibus, urbsque favet.
Insanit Francus, Karolus fremit, accelerato
Concilio, queritur quod sua Danus habet.
Hortatu procerum, princeps a rege secundus
Mittitur, Hastingo consule dante manum.
905 Hinc adeunt Danum, qui multo milite cinctus
Obviat, et campos militis arma replent.
Nec minor his numerus, sed Francus viribus impar
Archis castra locant, undique cuncta timent.
Dux Raynaldus adest; Hastingi lingua polita,
910 Ut sociis, Danis danica verba sona (1).
Inquirit qui sint, quis dux, que causa laboris,
Vel si Francigenis subdere colla velint;
Hastingi nomen Dani si fama tulisset
Auribus, aut Christum si pietate colant.
915 His breviter Rollo : « Nam primus agminis hujus
Dux ego; summa rei subdere regna michi.
Nos non Francigenis subdemur, non alienis;
Quidquid subicimus jussio nostra tenet.
Novimus Hastingi famam, nam belliger armis
920 Francigenum domitor, marcidus ecce jacet.
Christum nescimus, patriis Diis thurificamus,
Atque creatori qui sua cuncta regit. »
Singula sic tangens, Francis jubet ista referri,
Nescius Hastingi consulis esse sonum.
925 Ille redit, narrat, procerum furor estuat, arma
Congregat, et Danos ense necare parat.

(1) *Sonent.* Ed.

Aggere defosso vallari castra suorum
Rollo jubet, planam deserit inde viam.
Imperat armatis sedeant scutisque tegantur,
930 Hostibus ut pateat parvula tanta manus.
Aggeris inde viam Rollandus, dux legionis,
Ingreditur; Dani dissimulando favent.
Raynaldus sequitur, Carnoti consule juncto (1);
Danos scuta tegunt, sed dolus arte latet.
935 Rollonis subito, protractis ensibus, agmen
Exilit, et Francos undique mucro ferit.
Rollandus, non ille potens, seu qui Pyrenei
Collibus interiit, cesus ab hoste ruit.
Tantam Francigenum stragem cum principe consul
940 Cernentes fugiunt, vix sua castra tenent.
His Rollo victis, navali turbine rursus
Parisius tendit, letus ad arma volat.
Classis Mellentum veniens obtruncat et ardet,
Diripit, ac tantos pellere nemo valet.
945 Francigenis iterum Danorum fulgur adesse
Dicitur, et Danis bella parantur item.
Victi jam totiens, Franci necdum superantur;
Quod casu fieret, vi superare volunt.
Preteritis cesis cuneis, alii renovantur;
950 Raynaldus remeat belliger, ultor erit.
Dedecus iste fuge simul et cedem legionis
Advenit ulcisci, ruminat alta nimis.
Fluminis ad ripas, quo Dani castra locarant (2),
Advolat, excipitur Francigenumque phalanx.
955 Autumat is fluvium Danorum sanguine tingi,
Ut cruor exundans Cesaris urbe meet.
Confligunt acies, virtus virtute gravatur,
Armorum strepitu littora muta sonant.

(1) *Victo.* Ed.
(2) *Danus castra locarat.* Ed.

Ignaros belli juvenes Lutetia misit ;
960 Hostis ad arma potens hos fugat hosque metit.
Res miseranda satis ! colles hinc occupat hostis
Ut levius sternat quos (1) cava vallis habet.
Grandinis instar adest legio, Rollo quasi fulgur
Collibus elapsus ense micante furit ;
965 Danorum cinctus cuneis dux, fulgidus armis
Quo Raynaldus adest prelia dira movet.
Preterite cedis memor, et quam (2) sit turpiter actus,
Exerit hic Francus quidquid ad arma potest.
Preterea timidus ne Parisius potiatur,
970 Ictus continuos sustinet, isque refert.
Impetus hostilis, de collis vertice lapsus,
Ensibus obtruncat quos tenet ima palus.
Jam roseus fluvius Francorum cede liquescit,
Reque satis dura mergit ubique suos.
975 Danorum virtus, que Francis cedere nescit,
Obruit, impellit, vulnerat, hosque necat ;
Que, duce confisa, quasi sevo firma leone,
Devorat, extinguit, stragibus arva replet.
Se violenter agi, prosterni viribus, ense,
980 Franci dum reputant, cedere quisque cupit.
Vincant sive neci succumbant, nam legiones
Vincere Danorum non suus (3) ille labor.
Hic jam Francigenum Raynaldus dux legionum
Viribus et ferro totus ad arma ruit.
985 Sed cedunt socii, fugientes dum retinere
Nititur, hostilis surgit ad alta sonus.
Dux tandem fessus legionum Francigenarum,
Cum reliquis cedens, Danica bella fugit.

(1) *Ut veniens sternat quod.* Ed.
(2) *Quia.* Ed.
(3) *Sinit.* Ed.

Heu sors flenda nimis ! Dum tendit ut insula sese
990 Detineat, telo figitur atque perit.
Comperit id Rollo, fugientes opprimit armis,
Parisius veniens obsidione premit.

XX. *Quod post occisionem Rainaldi, Francorum principis, Karolus rex cum Francis Hastingum pro adventu Danorum culpat, isque comitatum Carnotensem Thebaldo, cuidam Francorum principi, auro distrahit, Francorum regnum deserit. Karolus ad Rollonem, pro pacis federe, Franconem, Rothomagensem archiepiscopum, dirigit cum Francis. Hinc rex ad colloquium occurrens, in presentia Danorum et Francorum, Normanniam, cum Britannia et Gisla, filia sua, Rolloni dedit. Franco archiepiscopus cum Rollone et Roberto, Francorum principe, Rothomagum venit, Rollonem baptizavit, Robertus princeps eundem de fonte substulit, nomen suum ei imposuit, filiam regis despondit.*

Francigenas victos, Raynaldum jamque peremptum
Audiit ut Karolus, flet populique gemunt.
995 Tutum nil Francis, ferus hostis victor ubique
Armis impavidus cuncta pavere facit.
Viribus elatus, comperto quidquid in armis
Francigenum valet ars, absque timore manet.
Hastingus culpatur in his. Auro comitatum
1000 Thebaldo tribuit, sicque refertus abit.
Rex, proceres, clerus, fessi, ceu nauta procellis,
Ecclesie navim jam titubare vident.
Dirigitur Danis Franco, Rollonis amicus,
Presul et is Rodomi, Francigenumque duces.

1005 His mandat Karolus vel Francia tota salutem,
Danica mirantur prelia, quidve petant:
Si regni partem, si divitias et honores,
Munere gratuito Francia cuncta dabit.
Jure sibi fidei divine consocientur,
1010 Et puri lacitis purificentur aquis.
Bis ternas urbes tribuet, cum Cesaris urbe,
Queque favent istis cuncta redacta sibi.
Prospicit hec tellus Britones, qua (1) tendit ad Austrum;
Qua Boream cernit, cingitur ipsa mari.
1015 Anglos Occasu videt, Ortu Parisienses;
Andegavis sedet hinc, Flandria juncta manet.
Tali pro terra se numquam pacificari
Rollo refert, tellus adiciatur adhuc.
Flandria tota datur, Karolus quam solus habebat;
1020 Spernitur a Dano, tunc paludosa nimis.
Offerturque duci post tota Britannica tellus;
Suscipit hanc, nam tunc hec opulenta satis.
Gisla, puella decens, regalis florida proles,
Dano sponsa datur, Francia leta favet.
1025 Rollo redit Rodomum, legionibus undique septus;
Dicere musa nequit, gloria quanta fuit.
Jure triumphali Rodomensem Danus in urbem
Tendit, Francigenum quem comitatur apex:
Princeps Robertus, proceres et filia regis,
1030 Regni nobilitas, pontificumque chorus.
Ecce dies clarus rutilat, fons rite sacratur;
Hinc miles, populus confluit, inde duces.
Dux igitur Danus vivis submergitur undis,
Hic vetus ingreditur, sed novus exit homo.
1035 Presulis officio Rodomensis cuncta geruntur,
Astant pontifices, clerus et omnis adest.
Suscipit hunc de fonte sacrq dux Francigenarum,

(1) *Que.* Ed.

Nomine de proprio nomen adaptat ei.
Anni tunc novies centeni terque quaterni (1)
1040 Transierant ex quo fit Deus altus homo.

XXI. *Quod ante baptismum suum per XXXVI annos regnum Francorum Rollo vastaverit, exercitum suum baptizari fecerit, eumque per urbes et castella Normannie diviserit, Northmannos quasi Boreales homines vocaverit; lingua enim danica* North *Boreas,* man *homo dicitur. Et de ipsius Rollonis morte, qui post baptismum annis V vixit, cui successit Willelmus, filius ejus.*

Ter denis annis bis ternis ante lavacrum
Francica (2) vastavit menia Rollo potens.
Perspicis hoc spatio verum (3) quod tanta peregit
Bella, quibus pretium Neustria tota datur.
1045 Contulit ecclesiis octonis Rollo diebus,
In quibus albatur, numera multa nimis.
Connubio stabili, Francis presentibus, alto
Sanguine sponsatur regia virgo duci.
Francigenum proceres redeunt, dux jura gubernat,
1050 Partitur sociis predia, rura, nemus.
Northmannos vocat hos homines quia sont Boreales :
North Boreas, *man* homo Danica lingua sapit.
Exprimit hinc nomen Northmannia clara triumphis,
Nominis antiqui tempnit habere notam ;
1055 Neustria fertur et hec nova Danis quod sit ad Austrum ;
Hos fudit Boreas, Austria terra tenet.

(1) L'édition porte : *Annus tunc novies centesimus terque quaternus Transierat.-Anno 912.* Note marginale.
(2) *Francia.* Ms. et Ed.
(3) *Rerum.* Ed.

Urbes Francigenum ter binas detinet armis
Danus, et in clara Cesaris urbe sedet.
Omitto narrare situm telluris amene,
1060 Ne nimius videar, dum satis ipse notus.
Villas et burgos sileo gazis opulentos,
Nec castella noto menibus alta suis.
Nobilibus parco silvis lustrisque ferarum,
Insignes fluvii tractibus arva rigant.
1065 Inque locis variis cognoscis (1) surgere vites,
Fructiferis lignis undique terra micat.
Nec maris aut terre fluviorum commeaturas
Dinumero, quibus hec commoda multa trahit.
Tellus digna suis legionibus, inclyta bellis,
1070 Gazis, cive, situ, nobilitate, duce.
Jam ducis exemplo legiones dantur in undis.
Hinc Northmannigenum crescit ad alta vigor.
Willelmo nato dux successore relicto,
Lustrum post lavacrum vixit et astra petit.

XXII. *De urbibus quas Rollo vel Hastingus vastastaverunt.*

1075 Urbes quas Rollo succendit depopulando,
Vel prior Hastingus, commemorare libet.
Non simul has omnes pessumdedit ille vel iste,
Rollo sed has, alias perculit ille ferus.
Iste tamen quasdam vastavit quas prius ille,
1080 Argenti nimii copia causa fuit.
Ecclesias taceo claras, castella subacta,
Urbes commemoro, nomina sola quidem.
Nannetum, Remis, Belvacus (2) et Aurelianis,
Carnotum, Turonis, Parisiusque simul.

(1) *Cognostis.* Ed.
(2) *Bebuacris.* Ed.

1085 Partibus in nostris Bajocas Ebroïcasque,
Hinc Rodomus, quam dux fortis uterque capit.
Andegavis sociata manet, Pictavis et ipsa,
Sic Noviomum fert prelia, tela, rogum.
Nobilis Arvernus (1) Vulcano traditur ipsi;
1090 Sanctonum simili cum feritate perit.
Lemovicas florens horum vastatur ab armis;
Engolisma ferox cedit, et ense caret.
Hinc Aquitanorum caput Avaricum superatur,
Cesaris hic virtus obstupefacta fuit.
1095 Inde Petragoricum succensum depopulantur,
Tunc petitur Lunis, urbs populosa nimis.
Hanc Hastingus et ipse Bierus Ferrea Costa,
Lobroci soboles, obsidione premunt.
Dictus sic, matris quod talibus illitus herbis
1100 Extitit, ut ferrum respuat ipsa caro.

XXIII. *De civitate Lunis* (2), *quam Hastingus Romam esse putans obsedit, se mortuum esse simulans intravit, delevit; hinc Franciam rediens, comes Carnotensis factus* [*est*]. *Bier, dominus ejus in Angliam, profectus est cum exercitu, ibique in pace, post multa prelia, vitam finivit, sua omnia sociis relinquens.*

Cingitur interea Lunis, que Roma putatur;
Hostilibus signis clausa perire timet.
Est tamen interius presul cum consule, quorum
Is dat consilium, protegit ille suos.
1105 Captu difficilis, timet ingenio superari,
Nam dolus et virtus hostibus arma duo.

(1) *Arvernis*. Ed.
(2) *In Tuscia*. Glose interlinéaire.

Hastingus simulat se mortis solvere jura,
Decubat hic lecto, presul ad ista venit.
Predicat huic normam fidei, tingitque lavacro;
1110 Ah dolus ! ecce lupum pellis ovina tegit.
Cinthia dum Phebum sequitur mundoque coruscat,
Pervigil ars vivit, nec dolus ipse silet.
Horridus Hastingus, lorica fulgidus, astat,
Substinet et galeam sic ocreasque gerit.
1115 Sistitur in feretrum, gladio lateri sociato,
Armantur socii, vestibus arma tegunt.
Exoritur clamor legionum, littora deflent,
Urbs fremit, audito consulis esse necem.
Presulis officio corpus defertur in urbem,
1120 Circumstant cunei, consul et urbis adest.
Confluit hinc populus, legionum Danica virtus,
Hinc et inde simul planctus in alta sonat.
Hi dominum deflent, illi pietate moventur,
Paulo post pietas luctibus horror erit.
1125 Fertur in ecclesiam vivum (1) funus galeatum,
Exequias presul jam periturus init.
Exilit e feretro Danus, prefulgidus armis,
Continuoque caput presulis ense secat.
Urbis ibi consul pili feritate necatur,
1130 Vestibus abjectis Danica tela micant.
Clari sternuntur proceres, cleroque perempto
Divus et ipse locus fit theatrale forum.
Vertitur in populum strages, discurrit in urbem
Hostis, et ingressus menia cede furit.
1135 Hinc pretii vestes fulvum congestat et album,
Urbis delicias querit, anhelat, habet.
Occupat, obtruncat, conscindit, diripit, ardet
Arces, indigenas, menia cuncta, domos.

(1) *Vivi.* Ed.

Comperit ut Danus Romanis arcibus istas
1140 Non peperisse neces, estuat atque gemit.
Nam dominam mundi se subdere semper amabat,
Quod Catilina ferox, Hannibal ipse nequit.
Congerit urbis opes, subductis navibus, alto
Menia respectat, fumat ubique rogus.
1145 Tale Jugurta ferox voluisset cernere regnum,
Cum redit, et Rome menia retro videt.
Audit Romuleam Danus fore longius urbem,
Arces in medio classica bella vetant.
Hinc redit. Hastingo, vastanti Gallica regna,
1150 Garnotum tribuit rex procerumque chorus.
Lobroci natus socia cum classe Bierus
Anglica regna petit, prelia clara gerit.
Pluribus exactis annis, hic morte sopitur,
Et claris sociis munera multa sinit.

XXIIII. *De bello inter Robertum, principem Francorum, qui diadema ceperat, et Karolum regem apud Suessionem, in quo idem Robertus occiditur; et [quod] etiam* (1) *idem rex rediens, apud Peronam castrum a Herberto comite, cujus sororem* (2) *predictus Robertus habebat in uxorem, captus, in carcere obierit; Ludovicus filius ejus ad Anglos fugerit; Rodulphus, filius comitis Burgundie* (3), *rex factus, annis decem vixerit; postea Ludovicus, ab Anglis rediens, regnum paternum acceperit.*

1155 Interea Karolo Francorum bella parantur,
Dux Robertus in his efferus arma tenet.

(1) *Et quod etiam.* Ed.

(2) Le copiste avait d'abord écrit *filiam.*

(3) Le ms. porte *Burg.* ce qui dans l'édition a été rendu par *Brugensis.*

Nam diadema capit, tumidus vi fidit et armis,
Ungitur in regem, subdita cuncta tremunt.
Exoritur bellum, nam clara Suessio vidit
1160 Regem jure novum tunc subiisse necem.
Cum redit hinc Karolus, Vermendensis sibi consul
Obviat Herbertus, nec videt ille dolum.
Peronam castrum consul monet esse propinquum ;
Rex divertit, et is carcere claudit eum.
1165 Nam soror hujus erat quam rex Robertus habebat :
Ut dolor altus adest, vindicat ille nurum.
Rex captus moritur. Post Ludovicus ad Anglos
Confugit, hic Karoli filius unus erat.
Filius inde ducis, quem dat Burgundia, regnum
1170 Radulphus retinet, plebs proceresque favent.
Lustris hic binis sceptrum gerit ac tribus annis,
Ingreditur demum flebile mortis iter.
Filius en Karoli tunc Ludovicus ab Anglis
Advenit, et patrium jam diadema capit.

XXV. *Quod Willelmus, dux Normannie, Rollonis filius proditione Arnulphi, comitis Flandrie, Francis faventibus, peremptus sit, Ricardo filio sibi succedente. Postea Ludovicus rex cum exercitu in Normanniam venit, occurritque Bernardus Danus cum exercitu apud Bajocas. Pueri Ricardi magister, Danus quidam, comitem Moritolii* (1) *Herluinum, cujus occasione dux Willelmus occisus fuerat, lancea percussit, occidit. Inde bello exorto, rex Ludovicus, captus a Danis, Rothomagum ducitur, in carcere ponitur ; filio deinde* (2) *obside dato*

(1) *Monsterolii*, suivant une correction faite après coup.
(2) *Demum*. Ed.

cum duobus episcopis, rex liberatur. Filius ejus in carcere moritur, episcopi liberantur ; rex eodem anno defungitur, sicque ducis Willelmi interitus vindicatur. Huic bello rex Dacie, qui paulo ante in Normanniam venerat, in auxilium Normannorum, cum suis quos adduxerat, interfuit.

1175 Consulis Arnulphi Flandrensis jus sibi subdit
Jura Moritolii (1), condolet ipse comes.
Quod Northmannigenum captum virtute vel armis
Redditur Herberto (2) cujus et ante fuit.
Arnulphus, retinens clausum sub corde venenum,
1180 Tempus et optatum tendit habere locum.
Hinc ducis alloquium Willelmi temptat inire ;
Mandat, conveniunt (3), dirimit unda duos.
Stant hinc inde duces, procerum stat cetus utrimque,
Querit amicitiam subdolus ille ducis.
1185 Annuit iste pius, petitur quo transeat undam,
Flumine transmisso ceditur (4), isque ruit.
Hostes diffugiunt, Normannicus ingemit horror,
Nam transire vetat fluminis unda latens.
Vexit cymba ducem, nam navis deerat omnis,
1190 Hec revehit funus, funeris instat (5) onus.
Devehitur Rodomum, propria sepelitur in urbe,
Rollonis patrium confovet ipse latus.
Iram Normanni retinent sub pectore diram,
Ricardum puerum substituuntque patri.

(1) *Monterolii.* Glose marginale.
(2) *Herluino.* Glose marginale.
(3) *Commeminit.* Ed.
(4) *Anno Domini IXc XLIII.* Note marginale.
(5) *Instar.* Ed.

1195 Robore cum multo, ceu mortis consulis ultor,
Ludovicus adest, Danica turba furit.
Consule sic dempto Normannos pellere querit,
Ira sed instigat quos dolor urit, habet.
Hinc Normannigenum virtus occurrit, et ense
1200 Cincta ducis proprii condolet ipsa neci.
Rex petit alloquium placidus Normannigenarum,
Sed dolus alterius callida corda facit.
Stare Moritolii comitem Normannicus ardor
Perspicit, initium mortis at iste ducis.
1205 Danus in hunc audax oculum deflectit, et hasta
Transforat, in puncto spiritus hujus abit.
Nascitur hinc bellum, ducis ultor Danus in armis
Sevit, et in Francos prelia dira (1) gerit.
Francigenum proceres funduntur, et undique sanguis
1210 Profluit, et campos corpora pulcra tegunt.
Virtus Francigenum regem dum protegit, hostem
Propellit gladiis, is tamen ense furit.
Sternuntur cunei (2) Francorum bellicus horror,
Arva replet strages undique multa nimis.
1215 Vertitur in proceres et regem Danica virtus,
Hos obtruncat, et hunc cum feritate petit.
Horrida vis belli ! furit is pro rege, sed ille
Vel victum capiet vel nece sternet eum.
Cesis jam cuneis que regis corpus obumbrant,
1220 Rex capitur. Danis splendidus iste dies.
Diffugiunt Franci, meror urget, nec locus armis,
Nam Normannigenum vis violenta viget.
Sic dux Willelmus, Rollonis splendida proles,
Cesus, Francigenis fit dolor atque lues.
1225 Ducitur a Danis rex Ludovicus in urbem
Cesaris, et clausus carcere fata gemit.

(1) *Dura.* Ed.
(2) *Cives.* Ed.

Regis Francigenum Karoli fuit unica proles,
Deflet et hic patrium cum pietate thronum.
Qui (1) Normannigenum cuneos dum sternere temptat.
1230 Regni (2) pro solio carceris ima fovet.
Bajocasine locus hic stat proximus (3) urbi,
Quo Nortmannigenum perpetuatur honos.
Belliger hec Danus Bernardus bella peregit,
Ricardique ducis fidus alumnus erat.
1235 Dacia tunc proprium transmiserat inclyta regem,
Qui Normannigenis prestitit ense manum.
Rex Ludovicus, Normannis pacificatus,
Carcere dimissus, jura paterna petit ;
Qui, bellis pressus variis, hoc deficit anno :
1240 Carceris urgebat forsitan ille dolor.

XXVI. *Quod Ludovico defuncto, Lotharius ei* (4) *filius successit, qui moriens duos filios suos Ludovicum et Karolum* [*reliquit*], *quorum Ludovicus rex effectus paulo post obiit : cui Karolus, frater ejus, in regnum successit, qui ultimus ex Karoli Magni progenie regnum obtinuit. Contra quem Hugo Capet, Hugonis Magni Francorum principis filius, rebellavit, eumque prelio commisso intra Laudunum cepit, et Aurelianis in carcere, ubi et defunctus est, misit ; sicque usque in diem hanc a filiis Karoli Magni ad filios Hugonis Capet regnum Francie translatum est.*

Hinc (5) patris imperium Lotharius inclitus armis
Obtinet, et Danis terra subacta silet.

(1) *Dum.* Ed.
(2) *Regem.* Ed.
(3) *Baioca sive locus hic stat qui pr.* Ed.
(4) *Ejus.* Ed.
(5) *Tunc.* Ed.

Cedit et is fato, natis diadema relinquens,
Unus post alium sceptra paterna regit.
1245 Nam Ludovicus, regni diademate sumpto,
Hoc Karolo fratri, morte favente, sinit.
Dux hinc Francigenum, qui Magnus dicitur Hugo,
Fata subit, natis dans sua jura tribus.
Primus in his Hugo, Capitis cognomen adeptus,
1250 Dux fit, et in regnum jura secunda tenet.
Suscipit Othonem fratrem Burgundia. Parvo
Tempore dux factus, morte sopitus obit.
Occupat Henricus fraterni jura ducatus,
Nam fratri (1) soboles nulla futura fuit.
1255 Post contra Karolum dux nobilis Hugo rebellat,
Contrahit armatam cum (2) feritate manum
Intra Laudunum regem cuncludit et arcet,
Is tamen egrediens hunc probitate fugat.
Laudunum remeat, jam castris hostis adustis,
1260 Hugo sed rediens irruit, huncque capit.
Rex Karolus captus concluditur Aurelianis,
Carceris ima tenens, tristia fata subit.
Precelsi Karoli soboles decurrit in istum,
Tam clari regis finis et iste fuit.

XXVII. *Quod anno ab incarnatione DCCCCLXXXVII Hugo Capet, cum filio suo Roberto, in reges Francorum Remis sacrati sunt. Et de Gerberto, ejusdem Roberti regis magistro. Et de morte primi Richardi, Normannie ducis, et Richardi secundi, et Richardi tertii, cui frater ejus Robertus in ducatu successit; sed is Hierosolymam*

(1) *Fratris.* Ed.
(2) *Tunc.* Ed.

perrexit, rediens apud Niceam obiit, Willelmo filio relicto, qui postea rex Anglie extitit. Et de morte Hugonis Capet, Francorum regis, cui Robertus filius ejus successit; quo defuncto (1), *filius ejus Henricus, et post eum Philippus regnum obtinuit.*

1165 Insigni primo Ricardo fata tenente (2),
Nomen, jus patrifium lius (3) hujus habet.
Tertius (4) inde subit, par nomine, viribus, ense,
Sed vite spatio, non probitate minor.
Jus tenet hinc fratris Robertus, nam sine nato
1270 Fatis cedit, et is sanguine primus adest.
Ad carnis tumulum Verbi mens hujus anhelat,
Niceam rediens hanc (5) tumulatus habet.
Unicus hinc natus Willelmus rexque futurus,
Dux Normannigenum parvulus extat adhuc.
1275 Rex igitur Karolus Francorum, carcere clausus,
Hugonis moritur traditione ducis.
Extitit hic Magni Karoli rex ultima proles,
Hec mors Francigenis gloria turpis erit.
Ultor nullus erat regalis proditionis,
1280 Hugonis feritas cuncta timere facit.
Christi tunc novies centenus septimus annus
Octogenus erat, cum diadema rapit (6)
Urbs celebris Remis hunc maxima rite coronat ;
Cum ducibus splendor pontificalis adest.

(1) Le ms. porte : *Quo defuncto, ejus unicus filius Philippus regnum obtinuit.*

(2) *Anno 996.* Note du ms.

(3) *Scilicet Richardus II, qui obiit 1026.* Note du ms.

(4) *Scilicet Richardus III, qui obiit anno 1028.* Note du ms.

(5) *Anno MXXXV.* Note du ms.

(6) *Anno IX^c IIII^xx VII Hugo Capucii fit rex Francorum.* Note du ms.

1285 Undenis annis in sceptri luce peractis,
Transit, et in celsi martyris ede jacet.
Hic insigniri natum diademate fecit,
Anno quo rapuit Francica regna sibi.
Nobilis hic Robertus erat, quem philosophie
1290 Gerbertus studiis imbuit atque replet.
Regis doctori Remensis pontificatus,
Inde Ravennatis Romuleusque datur ;
Astrologus mirus gradibus dijudicat astra,
Sicque gradus scandit quos pia tumba gemit.
1295 Huic regina parit ternos Constantia natos ;
Jura paterna tenent cum pater astra subit.
Roberto cedit primo Burgundia tellus,
Hugo sequens patrium protegit ense tronum.
Imperii primo moriens is deficit anno.
1300 Detinet Henricus fratris et ipse locum.
Exuit hic hominem, Philippo sceptra relinquens ;
Unicus hic natus par probitate patri.

XXVIII. *Quod hujusmodi temporibus cometa apparuit. Eodem anno, dux Normannie Willelmus cum tribus millibus navibus, contra Haraldum regem Anglorum pugnaturus, Angliam intravit.*

Hujus temporibus resplenduit ipsa cometa,
Cujus ab igne novo Neustria clara nitet ;
1305 Nam super hanc (1) rutilans crines detorquet in Anglos,
Mirantur populi, Gallia tota stupet.
Nam jubaris tanti nitor ardet quinque diebus ;
Ut reor, hic quintus rex radiabat (2) ei.

(1) *Simul haec.* Ed.
(2) *Radiabit.* Ed.

Navibus instructis (1) exercitus, horridus armis,
1310 Transvolat hoc anno culmina salsa freti.
Dux Normannigenum Willelmus, fortis et audax,
Tante classis erat causa comesque simul.
Angligenum regnum proprium fore dicit, et armis
Hunc sibi vel natis querit habere tronum.
1315 Ut Normannigenas Haraldus novit adesse,
Contrahit in cuneos quidquid in arma valet
Sic cum rege suo furit estuat anglica virtus,
Ac Normannigenis subdere colla vetat (2).
Testatur superos, Willelmum mittet ad Orcum,
1320 Ut dum regna petit, dividat ense ducem.
Dux igitur socias armare jubet legiones.
Parturiet bellum nunc diadema sibi.
Hinc propriis armis validus vestitur et ipse.
Accidit huic omen quod videt ipsa phalanx.
1325 Nam, dum loricam vestit, pervertit in ante
Quod retro fuerat, nescius ille rei.
Jurat splendorem divinum prospera cuncta,
Omine jam tali significata sibi :
Perfidus Haraldus, qui regni prima tenebat,
1330 Posterior fiet subditus ipse neci.
Hinc Normannigenas acies dux ordinat idem,
Precipit et primum quemque tenere locum.
Armatis igitur legionibus, altius astat,
Splendidus excelsa voce perorat ita.

(1) *Instructus*. Ed.
(2) *Negat*. Ed.

XXIX. *Oratio Willelmi, Normannie ducis, ante legiones armatas, cum eis Haraldus rex armatus cum exercitu occurrisset.*

1335 « O Normannigenum virtus, o flos probitatis,
Nominis en nostri fama perhennis adest.
Gloria summa dies victoribus iste futurus,
Dedecus at victis permanet iste quidem.
Rollonis patrios juvat hic meminisse triumphos,
1340 Cujus laus, probitas, Neustria semper erit.
Hanc a Francigenis extorsit viribus, armis,
Liquit et (1) hanc nobis posteriore loco.
Qui tanta probitate suis hanc contulit, hujus
Tramitis exemplo commovet ire suos.
1345 Subdidit is ferro patriam : quod vincere posset
Heres sic aliam, testis et ipse docet.
Jusque sacramque fidem violavit perfidus iste
Cum diadema meum fecit inesse suum.
Edwardus moriens michi rex regni diadema
1350 Sivit ut heredi, juribus idque peto.
Haraldum misit, firmantur federa ; carnis
Ponit onus, sceptrum perfidus iste capit.
Fratricida sui fedatus sorde cruoris.
Crimine pro gemino vulnera plura dabit.
1355 Perjurus diadema tenet, fratrisque necator ;
Perdat, et ense ruat condicione pari.
Non aliena michi conor supponere regna
Viribus armatis, at mea jura peto.
Rollonis claros imitari certo labores,
1360 Certent et socii laudis honore pares.

(1) *En.* Ed.

Subdidit ille sibi summa feritate feroces ;
Angligenum nobis subdere sceptra libet.
Perspiciat miles quante probitatis in armis
Sit, diadema sibi preripuisse manu.
1365 Nam ducis est probitas, tum militis inclita virtus,
Tum feritas animi consiliique vigor.
Desint ista ; quid arma sibi fient nisi pondus ?
Nam timidis ferrum turpe videtur onus.
Turpius in Danis fateor nil accidit umquam,
1370 Quam si tot cuneos Anglicus iste premat.
Alpibus insonuit, Normannos Anglica regna
Viribus et ferro subdere velle sibi.
Horrida fama manet seu laudis sive pudoris :
Vincere, laus ; vinci, pessimus horror erit.
1375 Victi Francigenis erimus derisus et orbi.
Vincimus ? His nostri splendida fama nitet.
Navibus impelli, vanum ; nam cedere campo
Danus nescit ; ibi stare, jacere, suum.
Milibus Haraldus confidit, nos feritate.
1380 Prelia non numero, sed feritate vigent.
Testis adest Rollo, devictor tot cuneorum ;
Innumeros stravit, nec sibi tanta manus.
Non tamen est nobis legionum copia parva,
Cum ter mille rates impleat ista phalanx.
1385 Tot siquidem jussi fieri, nec defuit ulla :
Splendidior classis bellica nulla fuit.
Nam si Cesaream classem bis Anglia sensit,
Hujus maxima pars est tumulata freto.
Sic et Alexandri Magni dum conprimit (1) urbem,
1390 Navibus instructis bellica turba fremit.
Hinc ex urbe rates proprio cum rege feruntur ;
Classi classis adest, is ferit, isque ruit.

(1) *Conspicit*. Ed.

Rostris precisis, cuneos dum suscipit unda,
Multis cum sociis Cesar et ipse natat.
1395 Hujus dextra librum tenet, equoris (1) unda sinistrum,
Ripas Cesar habet, Romuleique duces.
Illius hic urbis rex mersus deficit undis ;
Aurea quem thorax pandit, harena tenet.
Cesaris hac (2) oculis delata fertur in urbem,
1400 Inspicit hanc civis, menia clausa patent.
Jam bello superatus erat Pompeius, et hujus
Flet caput abscissum Julius ipse videns.
Sic fortuna rates dejecit principis orbis ;
Nostras unda tumens cum pietate tulit.
1405 Pompeii similes penas dabit iste rebellis.
Perdit jure caput qui diadema rapit.
Hannibal, in luna cuneos disponere suetus,
Stravit Romulidas, sole micante sibi.
Ex horum digitis gemmas detraxit et aurum,
1410 Cartago modios tres tenet inde sibi.
Nocte sub hac acies simili probitate parentur,
Solis ab exortu Danica sistra canant.
Multis cum cuneis jam traditor ille propinquat,
Estimat incautos (3) tradere posse neci.
1415 Impetus hostilis magnus, reor, iste futurus ;
Sed virtus tumidos calliditate premat.
Ictus sustineat clypeus lassosque repellat,
Congeminet fessis vulnera dextra recens.
Caute pugnando mortis discrimina vitet,
1420 Qui (4) vitare cupit turpia dampna fuge (5).

(1) *Maris.* Ed.
(2) *Haec.* Ed.
(3) *Incaute.* Ed.
(4) *Dum.* Ed.
(5) *Fugax.* Ed.

Belliger iste locus victores sive necatos
Nos tenet, at retro pellere nemo valet.
Utile quidquid erat, reor, hic jam concionatus,
Colligo cuncta tribus que retinere libet.
1425 Vis Normannigenum, spes regni, splendida fama,
Armis nos moveat, provocet, atque tegat ».

XXX. *De bello inter Willelmum, ducem Normannie, et Haraldum, Anglorum regem, in quo idem rex peremptus est.*

His dux finitis, Normannicus insonat ardor
Quisque sibi firmat vincere sive mori.
Umbra sub terre cuneos Haraldus anhelans
1430 Ducit, ut incautum dissecet ense ducem.
Cernitur a Danis armorum splendor, et ipsis (1)
Aurore radiis jam dolus ipse patet.
Nec fuerat minor his astutia, Danus in armis
Degit sub tenebris excubiasque fovet.
1435 Luxerat Arturus obliquis splendidus astris,
Cum pullis Pliades imbribus arva rigant.
Nascitur inde dies Calixti morte notatus:
Danorum calices Anglia seva bibet.
Tribus ordinibus dux ordinat hinc legiones,
1440 Instruit Haraldus cum feritate suos.
Hunc (2) summus planeta diem genitorque Deorum
Vidit; in hoc Danus prelia summa gerit.
Perdidit ille tronum, novus hunc (3) sibi vindicat armis.
Quem tenet Haraldus, fit thronus ecce ducis.

(1) *Ipse.* Ed.
(2) *Hinc.* Ed.
(3) *Hic.* Ed.

1445 Omnibus instructis legionibus, hora diei
Tertia fit, resonat clangor (1) ubique tube.
Armorum studiis princeps insignis uterque
Strenuus in bellis Danus et Anglus erat.
Confligunt acies, armorum perstrepit horror,
1450 Undique concertat vis violenta virum (2).
Straverat Haraldus Norwingos nuper, et armis
Fessus cum sociis est feritate minor.
Stat feritas animi legionibus inviolata,
Principe cum proprio vincere quisque cupit.
1455 Cessat telorum jactus, pharetris vacuatis,
Hastas fert clipeus, cassis ab ense sonat.
Cernitur horribilis tantarum vis acierum,
Incitat has feritas ingenitusque vigor.
His furor augetur spe regni, divite censu;
1460 Hec Anglus metuens sevit in arma ferus.
Certent pro patria, propellant cedibus hostes
Rex monet, et Danos viribus ipse petit.
Anglorum legio regem circumstat, et armis
Horrida bellorum fulmine clara micat.
1465 Hinc fessas acies dux, belli lege peritus,
Retro stare jubet, suggerit inde novas.
Hic Normannigenum virtus, furor, ardet, in Anglos
Sevit, et in regem jam furibunda ruit.
Angligenum gladiis pelluntur, et ense resistunt,
1470 Cum strepitu strages arva cruenta tenet.
Quis furor hic fuerit, quis, queso, dicere possit?
Que vis, que rabies, impetus, horror erat?
Regis pro vita, pro regno dissidet Anglus;
Hanc petit, hoc querit Danus in arma furens
1475 Regales acies, Anglis cesis, penetrantur,
Is petitur solus qui diadema tulit.

(1) *Clamor*. Ed.
(2) *Manus*. Ed.

Nam belli fieret finis jam rege perempto,
Militis at virtus ferrea claudit eum.
Non nisi per gladios capiatur sive necetur
1480 Ullum restat iter, prelia dira vetant.
Labitur a centro Phebus, Neptunia regna
Dum petit, armatis jam sua terga dabat.
Hinc ducis et regis gladiis acies sociantur,
Que fuit hic probitas exitus ipse docet.
1485 Audax regalem dux perforat ipse phalangem
Angligenum virtus, gloria tota furit.
Sed Normannorum vis, que Francos superavit,
Anglos nunc superat, deprimit, ense secat (1).
Principibus cesis regis lateri sociatis,
1490 Angli diffugiunt quo via queque patet.
Sic catuli fugitant, ceso rugiente leone;
Linquitur a natis ursa subacta neci.
Dum regem proceres (2).....
.....

XXXI. *De consecratione regis Willelmi. De abbate Cadomensi Lanfranco facto archiepiscopo Cantuariensi. De duabus abbatiis, quas idem rex apud Cadomum fecerat. Et de morte Philippi Francorum regis, cui successit Ludovicus, filius ejus.*

.....

(1) *Necat.* Ed.

(2) Ces trois mots sont fournis par la réclame qui est au bas du fol. 127 vo. Il y a ici une lacune d'une centaine de vers, par suite de l'enlèvement du fol. 128.

XXXII. *De morte Willelmi, regis Anglorum, et de tribus filiis ejus : Willelmo, qui ei in regnum successit; Roberto, qui ducatum Normannie tenuit; Henrico, qui postea rex Anglie extitit. De morte ejusdem Willelmi regis, et quod Henricus, frater ejus, imperium suscepit. Et de bello inter eumdem Henricum et Robertum, ducem Normannie, fratrem suum, in quo idem Robertus captus est, Henrico postea Normanniam obtinente.*

.....

Dux redit, hostiles acies rex promovet, armis
1495 Insequitur fratrem, transvolat inde fretum.
Subnixus cuneis, Bajocas obsidet urbem.
Irruit hostili more, subacta rapit.
Hinc, Cadomo capto, castellum pretitulatum (1)
Cingit et oppugnat, nec tamen ipse capit.
1500 Namque Moritolii cum consule (2), cujus et illud
Tunc erat, adveniens dux ferus arma tenet.
Cum sibi multa manus, regis violentior extat,
Ac numero superat, spes ubi summa sibi.
Instructas acies frater disponit uterque;
1505 Qui diadema tulit fortior esse cupit.
Nam contra dominum fratrem si prevalet ense,
Vis ibi non juris sed probitatis adest.
Jus petit ut natu major sceptrum moderetur,
At ferri probitas vertere jura potest.
1510 Rex igitur proceresque sui, structis aciebus,
Concertant numero, vi, feritate, manu.

(1) *Scilicet Tenechebrey.* Glose.

(2) *Roberto. Hic Robertus fuit frater uterinus Guillelmi regis et ducis qui Angliam conquisivit.* Note du ms.

Conversoque gravi bello paucisque peremptis,
Dux fortis capitur, consul (1) et ipse simul.
Quo primum steterant fissis cuneis capiuntur,
1515 Dedignatur enim quis resilire retro.
Eventus belli varios, discrimina pugne,
Perspicit ut captos, rex memorando redit.
Subditur interea regi Normannia tota,
Hosque sibi socians Anglica regna petit.
1520 Custodire jubet tantos, sed libera vincla
Talibus indulget, deliciisque fovet.
Jam comites, jam pontifices, clerus, populusque
Regis necne ducis jura verenda tremunt.
Milleni seni centeni terminus anni
1525 Fluxerat, et fratrum Neustria bella videt (2).
Hoc anno radians jam luxerat ipsa cometes,
Fratrum bella canit, tristia fata ducis.

XXXIII. *De morte Philippi, filii Ludovici regis Francorum, et de concilio quod tenuit Innocentius papa apud Parisius, ubi postea Ludovicum, filium Ludovici, sacravit in regem Francorum.*

Rex Ludovicus fatorum vincere fila
Dum nequit, occubuit, martyris ede jacet.
1530 Hic natum regem Philippum fecerat ante,
Quatuor ex natis hic sibi primus erat.
Hic juvenis dum pellit equum, ruit, ultima solvit.
Parisius plangit, quam videt ipsa necem.
Hac tunc consilium tenet Innocentius urbe,
1535 Presul et is summus urbis et orbis erat.

(1) *Moritonii.* Glose.

(2) *Scilicet anno MCVI fuit bellum predictum apud Tinchebray.* Glose marginale.

Rethoricus splendor causarum jura retractat,
Matris lingua sonat Romuleeque tube.
Ex Institutis, quo legum summa tenetur,
Legister replicat que sibi digna videt.
1540 In Digestorum totum se mergit abyssum,
Digerit et pandit utile quidquid inest.
Profert in medium tunc imperatoria jura;
Codex ipsa ligat; quod placet iste legit.
Explicat Edictis, et solvit multa Novellis.
1545 Catholice legis rex nova jura dedit.
Hinc, fluvius, torrens, Gratianus ad alta redundat,
Quo sine nil leges, nil ibi jura valent;
Fons decretorum, totius juris abyssus,
Luminis ecclesie splendida stella micat.
1550 Affluit, exornat, distinguit, terminat, arcet,
Verbis, flore, locis, sensibus, epylogis.
Ut jus jure docet, pro causa quisque laborat,
Partem nempe suam firmat, adauget, init.
Hec pater Innocuus componit, judicat, urget
1555 Lites, fata, modum, federe, jure, fide,
Hujus apostolici manibus rex inde sacratus
Ludovicus, honor maximus iste troni.

XXXIIII. *De morte Roberti, ducis Normannie, et de filio ejus Willelmo, cui Ludovicus senior comitatum Flandrie, cum sorore uxoris sue, dederat, mortuo comite Flandrie sine herede.*

Dux Normannorum moritur sub carcere fratris (1);
Natu major erat nec feritate minor.
1560 Nobilis hinc natus miles, prefulgidus armis,
Fata patris metuit, Francigenasque petit.

(1) *Scilicet anno MCXXXIIII.* Note du ms.

Hunc Ludovicus clarus pietate retentat,
Condolet is juvenis casibus atque patris.
O (1) natura ferox! Hic fratrem comprimit armis,
1565 Sicque nepos, patrui dum timet arma, fugit.
Pellitur a patruo, sed sustinet hunc alienus.
O pietas! Patruus hic erat atque pater.
Consul Flandrensis Karolus dum perstat in ede
Sacra, confoditur, sicque peremptus obit.
1570 Parcere dum propriis dominis sic Flandria novit,
Cernitur innate fraudis habere dolum.
Jus sicut proprium, dum nullus consulis heres,
Ludovicus habet quidquid et ipse comes.
Francigenum proceres, Flandrensis et ordinis alta
1575 Nobilitas assunt, natus et ipse ducis.
Curia sollemni Francorum culmine splendet,
Willelmo juveni Flandria tota datur.
Filius iste ducis Roberti, Danica proles,
Militie fulgor, Martis alumpnus erat.
1580 Insignis probitas Francos illexit amore,
Aptius hac nihil est jungere corda sibi.
Armorum feritas, virtutis gloria quanta
Hujus erat, testis permanet altus honor.
Hoc insigne tulit quod vix sibi quilibet armis
1585 Jungitur, horrorem (2) dum timet ille viri,
Thoraces clypeos vibrans dum perforat hasta,
Vel ruit ille, vel hec sanguine tacta madet.
Armis indutus radiat murus galeatus,
Hunc dum scandit equum, pellere nemo potest.
1590 Laus fuit ista sibi quod, dum ruit, ille vel ille
Consulis arma fugit, dum timet ense necem.
Quo fit ut ignotis ludens spatietur in armis;
Nota viri tanti quilibet arma fugit.

(1) *At.* Ed.
(2) *Honorem.* Ed.

Largitur comiti propriam regina sororem,
1595 Federe legali consociatur ei.
Hinc rex, hinc (1) proceres, hinc gaudet Flandria tota,
Virtus sic aliis sic sibi clara nitet.
Invisus propriis, fit carus sic alienis;
Quos pellunt alii, Francia ditat, habet.
1600 Pervenit ad patruum tam splendida fama nepotis,
Estuat ac metuit perdere jura ducis.
Quis timor est animi, rerum que ceca cupido?
Cuncta tenere sibi perdere, sicque mori!

XXXV. *De bello inter Ludovicum seniorem, juncto sibi Willelmo, comite Flandrensi, et Henricum, regem Anglorum.*

Cum Ludovico consul parat arma, cohortes;
1605 Hos ambos metuens Neustria tota furit.
Cum natis Henricus adest, legit undique vires,
Adsunt et Britones regis ad arma sui.
Hos cum Normannis possedit Rollo subactos,
Quos sibi perpetuo Francia larga dedit.
1610 Sed fera gens animo cervicem flectere nescit,
Ni Normannigenum vis violenta premat.
Horrida bellorum virtus utrinque paratur,
Lorice radiis solis et arva nitent.
Armati reges radiant ut fulmina celi,
1615 Vallati cuneis arma tremenda tegunt.
Instructos armis cuneos rex jungit uterque,
Ensibus arma sonant, ferrea turba fremit.
Tres Britonum primas acies Flandrensis abegit,
Ex Normannigenis quarta repente subit.
1620 Willelmus, regis soboles, dux agminis hujus,
Ut leo cum sociis sevit et ense furit.

(1) *Hic.* Ed.

Francigenum virtus, Flandrensis gloria gentis
Exerit hic quidquid viribus ipsa valet.
Impetus horrendus Francorum turbat et arcet
1625 Vim Normannigenum, sed furit illa magis.
Preteritas acies cum Francis Flandria vicit,
Estimat (1) et Danos subdere posse sibi.
Spes illos reparat, Danus succenditur ira;
Spem fugat ira potens, spes ruit, ira viget.
1630 Scinditur (2) hinc acies Flandrensis, Francus in armis,
Sanguine nam madidus Danica bella fugit.
Horrisonus fragor arva replet, ceu turbine belli
Flandria cum Francis tota repente ruat.
Franci Flandrenses, ut equos agitare periti,
1635 .Pondera sic belli vix pede ferre valent.
Hi Normannorum bello campoque relicto
Vitant, dum fugiunt, vulnera seva necis.
Rex Normannigenas laudat cum consule claro;
Quod superatur ab his laus sibi summa manet.
1640 Laus est Francigenis a Danis jam superari,
Contigit hoc solito, semper et illud erit.
Nam sibi nulla fuit gens belli pondere nota,
Cujus tot variis sit superata modis.

XXXVI. *Quod post predictum bellum, ubi rex Francorum cum comite Flandrie superatus erat, dum rex Anglorum Henricus in Angliam transit, filius ejus Willelmus, et Ricardus, cum multis, naufragio perierunt, Merlino id antea prophetizante. Et de morte comitis Flandrensis.*

Cum natis a Marte redit rex belliger audax;
1645 Flandria Francigene jam sua jura petunt.

(1) *Aestuat.* Ed.
(2) *Traditur.* Ed.

Neustria Normannis remanet cum laude triumphi,
Claris cum spoliis Danica turba redit.
Sic dum ventus adest, dum silvas concutit altas,
Radix fixa manet, robora turbo quatit.
1650 Gallorum turres rugitum jure leonis
Quod timeant, vates precinit ille novus :
At leo cum binis catulis dum tendit ad Anglos,
Piscibus hoc linquit quos vorat unda freti.
Angligeni regni scit cursum diva potestas;
1655 Quanta sit hec, vates celicus ille canit.
Preteritis signis pretendit vera futura,
Et sacri radiis flaminis ista videt.
Regni totius summam describit, et ipsa
Saxonice gentis prælia primo refert.
1660 Precinit hinc regno quidquid videt esse futurum,
Stringens cuncta brevi, terminat arce poli.
Ni jam pretereat, nescis quid vaticinetur;
Dum transacta (1) vides, credere cuncta licet,
Ignotus David est, ignotus sic Ysaias,
1665 Jam transacta canunt, et tibi tecta patent.
Filius inde ducis Roberti consulis, arcem
Flandria cui tribuit, vivere desit ibi.
Astans cum sociis castello, vulnere parvo
Leditur in dextra, nilque doloris inest.
1670 Hoc minimum negligit, sed proprio jure neglecto
Crescit et inflatur quod putat esse nichil.
Igneus ingreditur in parvo vulnere morbus;
Ut dextram resecet physicus ipse jubet.
Vel totus vivet, vel totus jam morietur,
1675 Nulla coheret ei pars sine parte sui.
Sic cedit fatis, Hector sic deficit alter,
Non probus, at probitas; non ferus, immo leo.
Terminus hic Verbi centenus bis duodenus
Millenusque simul necne quaternus erat.

(1) Ici et deux vers plus loin, l'édition porte *translata*.

INCIPIT LIBER SECUNDUS

I. *De adventu Henrici regis ab Anglia; tuncque cometa apparuit, isque paulo post apud Castrum Leonum obiit, corpore ipsius apud Radingensem* (1) *abbatiam suam delato.*

Inde cometa micat, rex tunc Henricus ab Anglis
Advolat, ulterius non rediturus adest.
Efferus iste leo Castellum jure Leonum
Advenit, et procerum confluit ampla (2) manus (3).
Isque cibo sumptas murenas semper amavit,
Ambrosii dictum nesciit iste reor.
Murenam repetens ad ripam sibilat anguis;
Amplexus ineunt, illaque feta redit.
Sicque venenato proles ex federe nata
Pestiferum multis contulit ipsa cibum.
Et licet expressum purgetur ab igne venenum,
Omne venenosum qui timet, ille sapit.

(1) *Radingem.* Ed.
(2) *Alta.* Ed.
(3) Le cardinal Maï a supposé qu'il manquait ici une centaine de vers; mais il est certain qu'il n'y a point de lacune.

Inscius hanc comedens moritur vel debilitatur,
Dulcia dum sumit cruda venena cibo.
15 Ultimus ista cibus deflendi jure leonis
Extat, et hic causa dicitur esse necis.
Rex humeris procerum defunctus fertur in urbem (1)
Cesaris, et planctus horridus arva (2) tenet.
Rumor ut hoc prodit, predonum turba resurgit,
20 Justitie trames hoc moriente ruit.
Quantus erat vivens, jus mortis concinit hujus;
Judice sublato, fraus dolus ecce viget.
Hujus corpus habet quam condidit ipsa Radingis,
Ecclesiam Prati cor cerebrumque fovet.
25 Horrendus turbo mortem precesserat (3) hujus;
Horrida fama volat, turbida cuncta facit.
Millenis annis decies denos sociabis
Septem lustra simul, cum subit iste polum.
Cum frater capitur, senis regnaverat annis,
30 Post totidem lustris se videt esse ducem.
Heres nata sibi pro natis, sola relicta (4),
Consulis Andegavis nobilis uxor erat.
Parvulus huic natus (5) dux, consul, rexque futurus,
Tempnitur a Stephano (6), qui diadema capit.
35 Quique nepos regis consul, preclarus in armis,
Angligenas subicit, cuncta silere facit.
Ternis hic lustris regnat cum quatuor annis (7)
Henricus junior splendet in arce troni.

(1) *Scilicet anno MCXXXV obiit Henricus primus.* Glose.
(2) *Arma.* Ed.
(3) *Processerat.* Ed.
(4) *Id est filia Matildis nomine.* Glose.
(5) *Nomine Henricus.* Glose.
(6) *Comite Bolonie.* Glose.
(7) *Stephanus, qui regnum Anglie occupaverat, decessit anno Domini MCLIIII, et regnum rediit ad Henricum filium Matildis.* Glose.

II. *De morte comitis Pictavensis, et de filia ejus quam Ludovicus minor* (1) *in conjugium cum comitatu, patre Ludovico vivente, accepit. Et de ecclesia Pisseii* (2) *quam Beccenses monachi ad se pertinere dicunt. Quodque propter propinquitatem generis Ludovicus minor Francorum rex uxorem suam dimisit, ipsaque postea Henrico duci Normannie regique Anglorum nupsit.*

Hujus regis avi mortem (3) mors Pictaviensis
40 Consulis insequitur, alter ut annus adest.
Unica sola sibi fuit heres jure ducatus,
Nam Raymundus abest frater et ipse ducis.
Dum tumulum petit is, fit princeps Antiochensis,
Ulterius patrium nec videt iste (4) solum.
45 Hinc Ludovicus neptem sibi copulat hujus,
Et dux efficitur dum pater ipse viget.
Deserit hoc anno vitam rex Francicus iste,
Parisius luget funera, martyr habet.
Hic breviter refero factum, quod displicet, hujus,
50 Tum quia natus adest, tum quia culpa gravis.
Novit et hoc natus, et culpam fama retractat;
Filius hanc reprimat, culpa repente ruet.
Nobilis ecclesiam structure, nobile castrum
Pisseium (5) servat, clarus et ipse locus.
55 Hanc cum prebendis pater hujus contulit olim
Ecclesie Becci; clerus ad ista dolet.
Artis quidquid habet simul excitat, urget et urit,
Officio, lingua, munere cuncta ligat

(1) *Junior.* Ed. et plus bas.
(2) *Pisseni.* Ed.
(3) *Henrici regis mortem.* Ed.
(4) *Ipse.* Ed.
(5) *Pisseni.* Ed.

Rethor, causidicus, regis flectuntur ad aures,
60 Flexerat hos aurum, flectere corda potens.
Ariete ceu crebro pulsatur rex; tamen hujus
Mens inflexibilis, inviolata manet.
Quid latet in fundo scit, novit ubi dolor angit,
Dirimit in puncto quod parat arte dolus.
65 Donum confirmat, causeque ligamina solvit,
Actor que replicat terminat iste brevi.
Clericus ecclesia se perspicit ut spoliatum,
Regia jura timens, vulnere jure tumet (1)
Optat et expectat fatorum fila secari,
70 Terminus hic regis si tamen esse queat.
Nec spe frustratur; nam multis deinde diebus
Exactis moritur; clericus ipse favet.
Hinc (2) causam renovat, queritur se non spoliatum
Equa lance, sibi curia testis erit.
75 Se vi regali pulsum, nec jure coactum,
Rome judicium nec licuisse peti (3).
Testibus id geminis, Albino necne Rufino
Comprobat, hi fratres causidicique simul.
Tullius eloquii fons, ipse Salustius acer,
80 Istis congrediens, tunc sine voce foret.
Curia clara nitet que nunquam subditur istis;
Subdita, fit vilis, nam sine jure manet.
Reges, pontifices, proceres, vis comprimit horum,
Bella, neces, urbes, excitat, augit (4), habet.
85 Subdolus Albinus rethor, linguaque politus,
Centies obtulerat quatuor ipse libros.
Causa ligatur in his, latet hic facundia tota,
Hic solus superat, prevalet, ore ligat.

(1) *Vulnus inire timet.* Ed.
(2) *Hanc.* Ed.
(3) *Nec licius se peti.* Ms.
(4) *Auget.* Ed.

Sic regem, proceres, ars hujus cingit et artat,
90 Atque in velle suum regia corda trahit.
Hinc Ludovicus monachos expellere jussit;
Sic patris hic anime consulit, immo sue!
Inde per Albinum prebendas clerus adeptus
Dividit has natis conjugibusque (1) suis.
95 Hicque (2) preces fletus fundunt pro funere regis,
Nam monachus pulsus desiit ista quidem.
Regum Francigenum donum primum fuit illud
Ecclesie Becci, finis et iste manet.
Ex horum donis id solum Beccus habebat,
100 Abstulit Albinus quod niger ille tenet.
Ludovicus obit, cujus jam filius heres
Nominis et regni jus regit omne patris.
Unguitur (3) hic. Annis centum, sex, mille peractis,
Sexies et quinis additus unus erit.
105 Sic rex Francigenum, sic dux Aquitanicus extat,
Uxor et ipsa simul jam diadema gerit.
Esse sed hanc regis testatur fama propinquam,
Hosque sibi jungi celica jura vetant.
Hinc proceres, hinc pontifices, hinc turba susurrat (4),
110 Auribus amborum funditur inde sonus.
Conjugium tantum solvi concedit uterque;
Amplexus varios querere quemque licet.
Hinc consanguinitas horum juratur utrinque;
Inde solum patrium libera stella petit.
115 Comparat hanc avium regine providus ille;
Sic (5) aquilam rupti federis ore canit.

(1) *Comitibusque.* Ed.
(2) *Hique.* Ed.
(3) *Ungitur.* Ed.
(4) *Susurrant.* Ed.
(5) *Si.* Ed.

Hanc sibi reginam prospexerat ille futuram,
Hujus nam geminum fert diadema caput.
Copulat hanc sibi dux, consul simul, ipse ducatum,
120 Occupat, amborum sic triplicatur honos.
Conclusos triplici Gallos tenet iste (1) ducatu,
Elatos Britones associare libet.

III. *Quod anno ab incarnatione Domini MCLIIII, Henricus, dux Normannie, in regem Anglorum unctus sit, et de discordia inter ipsum et Ludovicum, Francorum regem; ubi ab designandum quod comes* (2) *Andegavensis et Pictaviensis Francorum regi subjiciantur, de Hilderico, rege Francorum, qui ultimus ex prosapia Dagoberti regnavit, et de Pipino, Francorum duce, pauca narrantur.*

Dux binus, consul geminus, rex Anglicus idem,
Solus tanta regit, continet, arcet, habet.
125 Invida corda movet, quod solus, quod specialis
Terris, diviciis, conjuge, prole, trono.
Annis a Verbo transactis mille quaternis
Quindecies denis, is diadema tulit (3)
Bis septem socias (4), regis cum Francigenarum (5)
130 Respuit iste tronum, tempnit habere jugum.
Quod quid sit paucis referam, prolixa notabo,
Regalemque viam, vera loquendo, sequar.

(1) *Ipse*. Ed.
(2) *Comitatus*. Ed.
(3) *Anno* 1154. Note du ms.
(4) *Anno* 1168. Note du ms.
(5) *Francigenorum*. Ed.

Inter Francigenum reges fulsit Dagobertus
Nobilitate, trono, viribus, ense, fide.
135 Hujus progenies multo prolixior evo
Tempore diverso Gallica sceptra gerit.
Ultimus ex istis Francorum fert diadema
Childericus, at is segnis et hebes erat.
Nomine regali solo contentus, ab armis
140 Abstinet, et metuit prelia, tela, necem.
Pensa puellis dans, imitatur Sardanapallum;
In thalamis degit, carceris ima fugit.
Ostro purpureus, gemmis resplendet et auro,
Toraces, galee, pondera dura sibi.
145 Sub divo residens, glaciem fremitusque borinos (1)
Vitat, id armatis gloria sepe fuit.
Ocia dum sequitur satrinam carpit in ortis;
Sertum de violis colligit atque rosis.
Hostiles nescit cuneos impellere, silvis
150 Saltus horret, in his cornua densque vigent.
Nam cervos, capreas et apros, pro dente timendos,
Dum mortem metuit, non fugat, imo fugit.
Cum colat hic Christum, Bacchus sibi semper amicus,
Qui Cereris socius corda calore movet.
155 Indulgens dapibus, dum cor premit ipse phalerno,
Philosophus, summum credit id esse bonum.
Intonsus barba residens, cum crine refuso,
Hac in parte sui scoticus esse cupit.
Legatos recipit sic regum; quod sibi jussum
160 Edoctumve fuit, talibus ipse refert.
Quod parat atque jubet, tribuit prepositus aule (2),
Id solum pavidus suscipit, audet, habet.

(1) *Boemos*. Leçon primitive du ms.
(2) *Id est major domus*. Glose.

Dux tunc Francigenum Pipinus, splendidus armis,
Regni jura fovet, rege favente tamen.
165 Deliciis variis rex affluit, ille labores
Et curas patitur, murus et arma suis.

IIII. *De adventu Stephani pape in Franciam, et de concilio quod ibi habuit, ubi Hildericum, Francorum regem, diademate privavit, monachum fecit, et Pipinum et Karolum reges sacravit.*

Interea (1) Stephanus, presul tunc urbis et orbis.
Alpibus emensis, Francica regna venit;
Eloquio nitidus, preclarus religione,
170 Filius atque Petri dignus, honore, fide.
Corripit hunc valitudo gravis metuitque resolvi,
Pontificis Greci perstat in ede sacra.
Obsecrat hic, nam martyr adest, ejusque magister
Paulus et almifluus tertius ipse Petrus.
175 Amodo sanus erit, fatur Dionisius ipse,
Sed sociis binis ara sacretur ibi.
Visa refert, altare sacrat, sanusque resurgit,
Sedis apostolice munera digna sinit.
Cum propria palla claves deponit ibidem (2),
180 In signum fidei, nominis atque rei.
Incolumis redit hinc, docet ecclesiastica jura,
Fracta ligat, curat vulnera, sana fovet.
Nobilis antiqui famosi divitis audit
Dedecus imperii Francigenique troni,
185 Regalis splendor, bellorum gloria, regni
Nobilitas, virtus adnichilata ruit.

(1) *In terra.* Ms.

(2) *Pallam et claves sedis apostolice dedit papa Stephanus monasterio Sancti Dionysii.* Glose marginale.

Hinc regni proceres, et pontificalis honoris
Personas sociat, clerus honorus adest.
Gloria Francigenum, Pipinus, nobilitatis
190 Dux specialis, ibi clarus honore micat.
Ipse ducis soboles Karolus, lux Francigenarum,
Adfuit, atque patris assidet ipse latus.
Ex horum radiis astrorum curia fulget,
Gloria regalis quisque futurus erat.
195 Presul causidicus, dudum Ciceronis alumnus,
Causarum triplicem noverat esse modum.
Nam quis personam demonstrat laude colendam,
Digne pro meritis vituperatve suis.
Quid fieri possit deliberat ille vel ille,
200 Utile pertemptat, querit honesta sibi.
Queritur hinc etiam sententia judicialis,
Legibus ut cautum, plectitur ipse reus.
Horum sub primo causam dum conspicit esse,
Multa ligans paucis, papa perorat ita (1).

V. *Oratio ejusdem Stephani pape super hoc in concilio.*

205 Usus habet, natura docet, ratione tenetur,
Doctior in nautis ut regat ipse ratem.
Vires corporee naute rediguntur ad artem,
Que duo se mutuo consociata tenent.
Nam sine virtutis vi, cassa peritia constat,
210 Virtus arte carens firma manere nequit.
Indoctus sine vi, dum fluctus frangere nescit
Nec valet, et clavum deserit atque ratem.
Sirtibus et scopulis navis contracta repulsa,
Fissis jam tabulis undique cedit aquis.

(1) *Item.* Ed.

215 Navita sic stolidus nescit discrimina ponti,
Sed sibi commissos obruit unda freti.
Cesaree classis pars olim sic ruit undis
Dum maris Angligeni littora ceca subit;
Ferratasque sudes ibi cautus fixerat hostis,
220 Ignarus negligit navita mortis iter.
Currum sic auriga regens, dum flectere nescit,
Se, sua confringit, labitur, isque perit.
Solaris currus Phethon dum rexit abenas,
Inscius artis erat, terra perusta dolet.
225 Solis justitie currum, qui vivus habetur,
Quilibet indoctus dum regit, ille ruit.
Sic sensus, virtus in presule rege petuntur,
Quis sine nec populis nec sibi digna vident.
Si caret his presul, si rex, vilescit honoris
230 Et locus et meritum, subdita turba gemit.
Desidie, ventri, pastoribus ecce subactis,
Morsibus ipse lupi grex sine lege patet.
Sic nunc Francigeni defecit gloria regni,
Regia majestas jam sine rege ruit.
235 Undique fama volat, ciet omnes, transvolat Alpes,
Auribus Italicis turpior esse nequit.
Francorum probitas jam fit derisus ubique,
Barbaricis telis jure subacta tremit.
Desidis hoc regis levitas et inertia fecit,
240 Luxus, non gravitas; non vigor, immo sopor.
Corporis enervat vires, sensumque resolvit
Luxuries, cultus ventris, amorque sui.
Rex igitur vester nimio se stringit amore,
Dum tria que dixi nocte dieque colit
245 Rem populi negligit, regis retinet nisi (1) nomen,
Indignusque manet sceptra tenere troni.

(1) *Nunc.* Ed.

Nam sicut regni rex dignus honorat honorem,
Est stolidi regis sic inhonorus honos.
Parvum magnanimis preclarum reddit honorem,
250 Inscius (1) et stultus maxima parva facit.
Si docto confertur honos, plus doctus honori
Luminis impendit, quam sibi clarus honos.
Indoctus vite tenebris obscurat honorem,
Ex stulti meritis deficit altus honos.
255 Hoc in rege gemo, dum penso pondus honoris.
Quod sic pro viciis unctio cassa manet.
Incurrit penam contempto crismate sancto,
Si sceleris labem junxerit ipse sacro.
Romane sedis tenet hoc antiqua potestas,
260 Reges, pontifices, ut removere queat.
Insuper ipsa novos reges et pontificatus,
Quo nunquam fuerant, sistere jure potest.
Sedis ego Petri, licet hoc indignus honore,
Jus, claves, teneo, qualiter ipse videt.
265 Claves sunt verax discretio, firma potestas;
Quid liget et solvat, hec videt, illa potest.
Clavibus his geminis vix quilibet esse videtur
Preditus, alternis dum sibi desit opus.
Pontificum pauci discreti; sed tamen omnis (2).
270 Id ligat id solvit quod sibi jure placet.
Discretis ovibus non suppetit ipsa potestas,
Si tamen hec assit, clavis utraque viget.
Antistes cecus dissolvere sive ligare
Nescit, et inde sibi mors manet atque suis.
275 Sedis apostolice, cum Petri clavibus, heres,
Francigenum regnum clavibus hisce rego.

(1) *Justius*. Ed.
(2) *Omne*. Ed.

Hujus enim regni constat sententia nostra,
Providus et fortis ut diadema gerat.
Segnis et invalidus rex, quem ligat ipsa voluptas,
280 Ut decet, hinc solvit curia nostra trono.
Ocia sectetur que diligit in paradiso
Claustri tonsus, ovis pascua vera petat.
Sicque voluptati turpi succedat honesta,
Et requiem requie pellat, amore boni.
285 Sic clavus clavi dictannus tela repellit,
Verax religio (1) crimina pellit ita.
Antidotum felix, quod mentis vulnera sanat,
Carni mens anime ne sociata gemat.
Clari pontifices, proceres, regalis honoris,
290 Nostra simul presens curia clerus adest.
Ex his Francigenum ducibus qui fortior armis,
Sensu calidior, Francica sceptra regat.
Nunc igitur nostrum (2) sententia sit generalis,
Vox eadem cunctis, consonet omnis idem.
295 Filius hic noster Pipinus splendidus armis,
Consilio magnus, rex erit, idque volo.
Cum Karolo nato vobis hunc dono sacratum,
Quorum Francigenum gloria jura ferat.
His diadema datur a nobis jure perhenni,
300 Regia progenies jura paterna regat.
Obtestor superos ne quis, diademate sumpto,
Tantorum (3) sobolem pellat ab arce troni.
Hi sceptro digni quos tulit bellica virtus,
Exacuit sensus, consiliumque regit.
305 Quos vite probitas, et castus splendor honestat,
Justificat virtus, temperat atque docet. »

(1) *Re Higio.* Ed.
(2) *Vestrum.* Ed.
(3) *Natorum.* Ed.

VI. *Quod Stephanus papa Pipinum, Francorum regem, cum filio ejus Karolo Magno, exercitu secum, in Italiam contra Haistulfum, Langobardorum regem, duxit; bello commisso, Haistulfus fugiens intra Papiam includitur, obsidibus deinde* (1) *datis, et urbibus quas abstulerat redditis. a Pipino et Stephano in concordiam recipitur. Pipino cum exercitu reverso, Haistulfus fulminis ictu percutitur. Stephanus papa Desiderio, duci Langobardorum, diadema tradit. Quodque, Stephano mortuo, Adrianus papa successit.*

Ista peroratus Stephanus, lux pontificalis,
Dignus apostolici dicitur esse loci.
Laudatur virtus animi, constantia verbi,
310 Judicium regi, consiliumque duci.
Audacem virtus fecit, constantia firmum;
Hac fit rex monachus, sceptra dat illa duci.
Factus ovis Christi rex tonsus tendit ad astra;
Unguitur hinc Karolus, ejus et ipse pater.
315 Francia letatur, Pipino sceptra tenente,
Huic natoque suo Gallica turba favet.
Rex Langobardus Haistulfus vendicat armis
Itala jura sibi, plebs proceresque tremunt.
Claras Italie devincit et occupat urbes,
320 Juris apostolici predia cuncta rapit.
Pipinum Stephanus movet, urget, ut arma capessat;
Haistulfum superans, Itala sceptra ferat.
Transvolat hinc Alpes Stephanus; rex, Francica virtus,
Que sibi bella volunt, rex sibi quisque parat.
325 Inde die facto solaris splendor ab armis
Emicat, hostilis stat geminata phalans.

(1) *Demum.* Ed.

Insurgunt acies, belli furor undique multus,
Qui quantus fuerit, terminus ipse docet.
Nam rex Pipinus cuneos dum perforat hostis,
330 Italicis campis sanguine cede furit.
Instat et obtruncat rex Langobardus, at ensem
Exerit horrendum Francus, et ille fugit.
Ingressus Papiam, Francorum cingitur armis,
Obsessus metuit tela cruenta, necem.
335 Compulsusque modis variis ad deditionem,
Reddere capta refert, si sibi vita datur.
Sic a Francigenis et papa jure receptus,
Urbes restituit, predia capta sinit.
Inde sequens cervos, percussus fulguris ictu,
340 Ignibus ecclesias qui dedit, igne calet.
Hinc Desiderius, dux Langobardus, in armis
Strenuus, a Stephano suscipit alta troni.
Post Stephano Stephanus sociatur, carne solutus,
Martyrio dispar, major honore sacro.
345 Romulei cleri jus eligit hinc Adrianum,
Hic Stephanum sequitur moribus, ore, fide.

VII. *De morte Pipini, regis Francorum, cui, regno diviso, Karolus et Karlomagnus successerunt. Sed Karlomagno post duos annos defuncto, Karolus, qui postea Magnus dictus est, monarchiam regni obtinuit, Alamanniam, Saxoniam, Italiam sibi subjecit, Desiderium, Langobardorum regem, bello superavit, clausum intra Papiam cepit, apud Sanctum Dionisium misit, monachum eum ibi fieri jussit, filium ejus Adalgisum a finibus Italie discedere fecit. Et de terris quas idem Karolus tenuit. Quodque defunctus aromatibus conditus est, et apud Aquisgranum sepultus, filio*

ejus Ludovico monarchiam totius imperii paterni obtinente. Quodque paulatim Francorum reges regnum Italie et Alamannie, aliarumque provinciarum, quas Karolus habuit, inertia amiserunt.

Dudum Pipinus rediens, cum laude triumphi,
Liquerat Italici culmina celsa soli.
Qui, tribus emensis lustris, diadema reliquit;
350 Martyr corpus habet, Parisiusque dolet.
Hunc nati Karolus Karlomannusque sequuntur,
Culmine, consiliis, viribus, ambo pares.
Quorum posterior binis post deficit annis,
In Karolo solo spes manet ipsa troni.
355 Nec spes falsa fuit, cum solus Francigenarum
Regum flos, speculum, sensibus, ense fuit.
Preteritos superans, obscurat posteriores,
Ex his nemo sibi par probitate, trono.
Ampliat imperium pre cunctis viribus, armis
360 Auctum, desidia posteriore ruit.
Hic Alamannorum cervices subdidit altas,
Pressit Saxonie colla superba jugo.
Italie stravit vires, sibi queque subegit,
In domina mundi tunc diadema tulit.
365 Hinc Langobardum regem superavit et ipsum
In Papia clausum, vi, probitate capit.
Hujus ab Italia sobolem tunc depulit armis;
Clarus Adalgisus Francica signa (1) fugit.
Sic Desiderius captus traducitur Alpes,
370 Italiam linquit Parisiusque venit.
Jusserat ut Karolus, Dionysius excipit istum
Stropha sibi statim calida facta fuit.
Ex propriis regi fit flava corona capillis,
Italici regni qui diadema tulit.

(1) *Regna.* Ed.

375 Purpura regalis fit ei jam pulla cuculla,
Pulmentum similat (1) regius ille cibus.
Italie fines claustro metitur in arcto,
Vertitur in requiem bellicus ille labor.
Hymnisonos cantus mutat clangore tubarum;
380 Daviticam citharam regia sacra sonat.
Pro sceptro baculus jam fessos sustinet artus;
Hinc moritur, cultus regius omnis abest.
Martyris altaris tenet hunc pars (2) dextera; dextre
Judicis ipsius consocietur ovis.
385 Langobardorum regem sic vicit, abegit,
Claustravit Karolus; illeque finit ita.
Sic Langobardos, sic Romam, sic Alamannos
Perdomuit, cepit (3), subdidit ille ferus.
Sic sibi Saxonie gens Pictavisque superba,
390 Andegavisque potens subdita semper erat (4).
Flandria servivit, timuit Burgundia sceptrum,
Lotharingia fert jura verenda ducis;
Neustria tunc eadem que Francia jussa ferebat;
Sic Britonum cervix flexa tributa dabat.
395 Hec summus Karolus tenuit, virtute subegit,
Hec soboli linquens, ut reor, astra petit.
Corpus Aquisgranum servat, quod mirra perunxit,
Balsama vina tenent ardua membra viri.
Bis septenus erat octingentesimus annus,
400 Cum deitas carnis tegmine clausa fuit.
Post Ludovicus triplices compescit habenas,
Dum patrii juris suscipit ipse decus.
Cum sibi subjectis servit Maguncia, Roma,
Parisius; triplicem sic regit ille tronum.

(1) *Simulat*. Ed.
(2) *Par*. Ed.
(3) *Capit*. Ed.
(4) *Erit*. Ed.

405 Regni sic triplicis primas dum continet urbes,
Ex tribus his unum jam diadema facit.
Posterior soboles in partes dividit unum,
Pars minor a toto deficit ipsa suo.
Sic Alamannorum, sic perdunt Romulidarum,
410 Francigeni reges (1) subdita jura sibi.
Gloria paulatim regni sic deficit hujus,
Ut sibi subjectis vix dare jura queat.
Jamque duces regni tot reges esse videntur;
Rex facit, ille jubet; quod vetat, iste sinit.

VIII. *De colloquio quod inter Ludovicum, Francorum regem, et Henricum, regem Anglorum, extitit, anno ab incarnatione Domini MCLXVIII, apud Gisorcium, presentibus episcopis et principibus utriusque regni, Toma archiepiscopo Cantuariensi ab Anglorum rege discordante et in parte Francorum regis assistente. Quodque regibus his in* (2) *diversis ab invicem locis separatis, rex Francorum per proceres regni mandat, ut ex ducatu Normannie et Acquitanie et Andegavensi comitatu, rex Anglorum quod justum est servitium Francorum regi et ducibus persolvat.*

415 Anno milleno centeno bisque quaterno
Cum decies seno (3) Francia bella movet.
Tertia pars regni Karoli sibi sola relicta
A se vix regitur, vix sibi tota favet.
Maximus Anglorum rex hic et fulguris instar
420 Henricus juvenis nititur esse suus.

(1) *Regis.* Ed.
(2) Les mots *his in* omis dans l'édition.
(3) *Anno* 1168. Note du ms.

Francigeni juris comitatus necne ducatus,
Bis binos retinens, jam facit esse suos.
Tempnit Francigenis audacia subdere colla,
Indomitusque leo respuit omne jugum.
425 Hinc Ludovicus cum Francis surgit in iram;
Perdit membra troni, dum tenet ipse caput.
Sic cesis membris, capitis vis debilitatur,
Parva fit, hoc leso, corporis ipsa salus.
Regis ad alloquium nostri, rex Francicus ille
430 Milite vallatus convenit atque duce.
More sibi sueto, cuneis stipatus et armis,
Advolat Anglorum rex procerumque cohors.
Pontificumque chorus (1) presens, vis religionis
Ut sibi prescribit, pacis amena petit.
435 Exul adest (2) Thomas antistes Canturiensis (3),
Federa perturbat, prelia sola cupit.
Ut dolor amissi compellit pontificatus,
Tela quibus pacem dirimat ore gerit.
Primitus iste tulit regalis jura sigilli,
440 Hinc Dorobernensis presulis alta tenet.
Hic regis fratrem pertesum semper habebat,
Ne consul foret (4) hic, obvius ille fuit;
Cum nata comitis comitem Warenna tulisset,
Nobilis his (5) presul ni nocuisset eum.
445 Ira permotus, numquam rediturus, ab Anglis
Advenit is, matri nunciat ista pie.
Hinc Beccum veniens fratrum se tradit amori,
Heu! Juvenis clarus quam cito fata subit!

(1) *Clerus*. Ed.
(2) *Abest*. Ed.
(3) *Cantuariensis*, ici et plus bas dans l'édition.
(4) *Fieret*. Ed.
(5) *Hic*. Ed.

Paulo post Rodomi morbo grassante gravatur,
450 Diffidunt medici, jus subit ille necis.
Corpus habet Rodomus ; dolet hinc, ut visio dixit,
Nam Becci monachis se moriendo dedit.
Fratrem rex plangit, putat hunc ex sanguine mixto
Ire preterite sic subiisse necem.
455 Causatur presul, necis hujus causa notatur;
Regia mens illi nota fit, inde timet.
Transvolat hinc pontum, papam petit, exulat idem,
Francigeni regni menia cara tenet.
Se queritur pulsum, sed Roma pulsus et ille
460 Nec sibi nec pulsis tutus adesse potest.
Italiam redit hic, colit his nunc Francica rura,
Arma movet, cedes preparat, ore furit.
Aut sibi restituet rex Anglus pontificatum,
Aut per bella, neces, auferet iste tronum.
465 Nolit sive velit, rex vivet tempore longo,
Et senio canus tendet ad alta poli;
Hunc incorruptum servabunt balsama pura,
Totus splendidior sole perhennis erit;
Natos conspiciet preclaros viribus, armis;
470 Hi jaculaturi fulmina, tela, faces.
At presul, triplicis qui fraudis Symonis heres
Perfidus est, merito sedis ab arce ruit;
Vellitur, arescit, moritur plantatio falsa;
Planta patris celi vivida semper erit.
475 Rex igitur Gallus, tendens Gisorcia rura,
Angligeni regis proxima castra venit.
Francigeni juris terras, quas detinet ille,
Is petit, aut solvat debita jura sibi.
Quid sibi Danorum dux debeat aut Aquitanus
480 Novit, et Andegavus Pictaviusque comes.
Cum tantos teneat bis binos solus honores,
Serviat ut Francis, est sibi summus honos :

Predecessorum teneatur norma suorum;
Francis servierant, serviat iste simul.
485 Jus ratioque tenent regi quod serviat illi,
Imperii cujus talia membra tenet.
Regi per regni proceres hec mandat; at ille,
Regem se recolens, efferus ista refert.

IX. *Oratio Henrici regis coram proceribus suis, respondens regis Francorum mandatis.*

Anglorum diadema gerit; se subdere regi,
490 Tum ducibus propriis tum sibi turpe manet.
Regibus Angligenis proprium, ni bellica virtus
Hos premat, alterius se dare nolle jugo.
Par sibi stat probitas, par virtus, parque potestas,
Ut mens, utque manus, ut docet ipse tronus.
495 A Normannigenis ducibus Franci superantur,
Extorquetur ab his Neustria tota simul.
Angligenos (1) vincunt, et totum nobile regnum
Tantorum subicit vis violenta sibi.
Reges sic facti, nullis virtute minores,
500 Viribus ense simul seque suosque tegunt.
Cedes, bella, faces patiuntur nec subiguntur,
Clarior immo micat vis (2) probitasque troni.
Inque vicem referunt cedes, incendia, predas;
Aut sibi pax, aut vi colla superba prement.
505 Vi patria regnum patrium patriosque ducatus
Contra Francigenas semper ubique tenent.
Divitiis, ortu, regno, virtute, vel armis
Francigenum regi se canit esse parem.
Hique pares cuneis certent, aut corpore solo,
510 Major ut ex paribus fulminet ense suo.

(1) *Angligenas.* Ed.
(2) On peut lire également bien *vis* ou *jus*.

Par diadema sibi fiet pro viribus impar,
Ex geminis sceptris vis minor una duum
Natos regales bis binos crescere cedat
Annis, ingenio (1), viribus, ense, manu.
515 Bellica gesta legant, aut verbis hec doceantur,
Testa recens potet bella futura sibi.
Curtius his (2) Macedo, Vigetius arma peroret,
Cumque Suetonio Cesaris acta canant.
Hinc sibi narrentur vires virtutis avite,
520 Bella quibus quantis viribus ipsa gerant.
Audax vis mentis nutritur talibus escis,
Cautior in bellis ista tenendo manet.
His disciplinis imbutos cum dabit etas,
Natos constituet pro probitate duces.
525 Regi Francigenum subjecti tunc sua jura
Viribus obtineant obsequioque suo.
Offerat hic lympham, mantilia prebeat iste,
Tergeat ablutas nobilis ille manus;
Regi sic proprio cum discum deferat alter,
530 Alter conficiat pocula digna sibi.
Curia Francorum bis binis splendeat astris,
Horum rex, proceres, subdita colla premant.
Obsequio multo pro terra quisque laboret,
Sic vis ipsa troni Francigeneque volunt.
535 Quatuor hisque rotis solium regale feratur,
Sed ruet id (3) forsan si grave fiat onus.
Flumine bis bino Francorum prata rigentur,
Sed solet alluvio multa domare (4) solum.
Rex, si fata sinant, servabit more parentum.
540 Se, solii culmen, subdita cuncta sibi.

(1) *Armis in regno.* Ed.
(2) *Cur tantus.* Ed.
(3) *Hic.* Ed.
(4) *Donare.* Ed.

Regis Francigenum discum ciphumque refutat,
Curia suspecti judicis extat ibi ;
Rollonis natum scit traditione peremptum ;
Anterior casus posteriora docet.
545 Redditur astutus discernere facta priorum,
Multa per exemplum quisque cavere potest.
Regi rex fari veniet sub climate nudo ;
Quod peraget regi, nil nisi regis erit.

X. *Quod, responso Anglorum regis audito, in quo mandatum miserat se Francis nil persolvere, nisi quod regie dignitatis foret, Francorum rex hominium suum eidem regi reddidit ; quod ille recipiens, cum discordia uterque cum suis discedit, castella sua quisque eorum munit. Rex postea Anglorum armatus, cum armatorum agmine militum, Calmontem, Francorum regis castellum, petit. Francorum acies armata, de castello prosiliens, audacter regi et Normannis ceterisque armatis obviam procedit.*

Nunciat hec (1) regi jus pontificalis honoris ;
550 Regnum Francigenum quod ruat ille refert.
Ut sibi consilium dictat, vel comprimit ira,
Regem nunc hominem denegat esse suum.
Precipit a regno discedere, castra relinquat,
Cis mare ne maneat consulit, immo jubet.
555 Audit ut iste ferus dominum quod se negat ille,
Servum se Domini commonet esse poli.
Haut (2) mare transibit, sed terras viribus armis
Defendet proprias, jus reget omne suum.

(1) *Hoc.* Ed.
(2) *Nec.* Ed.

Nil habet ex Francis, dudum sibi quisque parentum,
560 Uxor et ipsa dedit, quicquid in orbe tenet.
Tollere qui temptat per vim sibi jura paterna,
Is metuat patrii perdere jura troni.
Regum colloquium sub verbis solvitur istis,
Quos procerum virtus pacificare nequit.
565 In sua discedunt, incendia, bella parantur,
Castellisque suis undique quisque timet.
Milite, farre, mero, dapibus murisque vel armis
Regum quisque suos cingit, adimplet, alit.
Anglus rex igitur, firmatis undique marchis,
570 Urbibus et castris bella futura cavet.
Ex propriis terris lectas legit ille cohortes;
Has sibi consocians, tutus ubique manet.
Expendat quantum jam nullus dinumeraret,
Nam numero numerus, ut reor, ipse caret.
575 Thesauros aperit, nil clarius extat honore,
Argentum superat gloria celsa troni.
Ut sibi subjecte vallentur ab hostibus urbes
Prestolatur, et his subdita castra simul,
Cum Northmannigenis a regno Francigenarum
580 Hunc vis vel ratio pellere nulla potest.
Attamen obsessis castellis efferus ipse
Cum sociis aderit, viribus, ense, nece.
Sed vis Francigenum cupit, ardet, nec tamen audet
Ut castella ducis obsidione premat.
585 Hi cum rege suo cedunt epulisque jocisque,
Hosque Medunta tenet, Bacus (1) et ipse fovet.
Ille sub arma madet, quem torax fulgida cingit,
Cum cuneis multis firmat ubique sua.
Arguitur cum nil a Francis is patiatur,
590 Cur acies tante, cur sibi tanta manus?

(1) *Batus*. Ed.

Cur impensarum non saltem pondus abboret,
Quam cum Francigenis orbis et ipse stupet?
Aut socios spargens hos in castella remittat,
Aut solii tanti culmine digna gerat.
His rex impulsus Gisorcia menia linquit,
Agminis ex armis sol magis ipse nitet.
Ex Normannigenis Walensibus, agmine juncto,
Hunc equitem ducit, currit at ille pedes.
Calmontem, clarum castrum, petit inde, quod armis
Milite, valle, situ, divitiisque viget.
Regius hic frater, Francorum gloria tota,
Militie virtus nobilitasque manet.
Angligeni regis timor istos associavit,
Ut vis tanta virum regia castra premat.
Armis irradians, pedetemptim proximat ille,
Precedit, sequitur quem geminata phalans.
Imperat armatis Walensibus ingrediantur
Castellum, fluvi quo fluit unda liquens.
Hinc cum Northmannis ad castri menia tendit,
Cernitur ipsa phalans, dum tenet arva soli.
Armatur virtus, Francorum gloria regni,
Cum strepitu, portis exilit, arva tenet.
Occurrit cuneis regalibus, arva coruscant,
Advolat hinc Danus, Francus at inde venit.
Tam claras acies dum rex procedere portis
Inspicit, admirans personat ista suis :

XI. *Oratio Henrici regis, quam tunc ad milites suos habuit.*

« Gloria nulla quidem constat, quod fortis et audax
In fragiles timidos prelia clara movet.
Fortis dum superat fortes, id gloria, virtus.
Fortibus ex geminis fortior ipse nutat.

Militie virtus hec est, et laus probitatis,
Horribiles acies vi superare manu.
En vis Francigenum properat Calmontis ab arce,
Inque loco regis frater et ejus adest.
625 Quanta sibi virtus animi, spes quanta triumphi,
Vultibus in nostris impetus ipse docet.
Occurunt nobis, vim tempnunt obsidionis,
Angligenum regem se superare putant.
Laus sibi virtutis debetur jure perhenni,
630 Quod Normannigenas pellere retro volunt.
Hoc regnum potuit nemo nulleque cohortes,
Gens invincibilis vincere cuncta solet.
Hi forsan numero superant, superant probitate,
Que tamen his probitas, cernet utraque phalans.
635 Advolat hic Petrus (1) sibi fortis, rexque secundus,
Tertius his fiet quem vigil ille videt.
Adsunt Warlandi, Merlonibus associantur,
Pisseii virtus federe juncta venit.
Francigenum vis terna micat, triplicisque phalangis,
640 Hi flos, lux, speculum, pectore, mente, manu.
Francorum proceres numero vel nobilitate
Se Northmannigenis notificare solent.
Nil valet in bellis jactantia nobilitatis,
Degener omnis erit qui timet atque fugit.
645 Nobilis is solus qui viribus opprimit hostem,
Qui sibi, qui sociis vis clypeusque manet.
Rollonis virtus Northmannica jura reliquit (2)
Nobis, progenies ipsius ecce sumus;
Quod tanta probitate suis quesivit et armis,
650 Francorum feritas tollere nempe cupit.
Vis Northmannigenum tantis sudoribus olim
Abstulit hec, tenuit, possidet, obstat, habet.

(1) Le cardinal Maï a proposé la correction *primus*.
(2) *Relinquit*. Ms.

Proh dolor! Id quanti censebitur esse pudoris,
Si requies perdat quod labor ipse dedit?
655 Immo non requies, sed turpis inertia, Francis
Serviat ut Danus, par feritate, manu,
Non par, at major. Nam quos sibi subdidit armis
Cum terris propriis tempnit habere pares.
Hi tamen hi tanti rapient castella vel urbes
660 Quas patrium nobis jus dedit? Absit idem.
Non castrum nostrum, non urbes ingredientur,
Forsitan agnoscent jam sua nostra fore.
Aut horum fusas acies linquamus in arvis,
Aut cogamus eos carpere jura fuge.
665 Ignibus et ferro castelli nobilis hujus,
Ante suos vultus, dejiciantur opes.
Hoc Normannigenum sibi fiet (1) pignus amoris,
Per medias flammas dum sibi cursus erit.
Terra negetur eis, armis claudantur in arcem,
670 Hec duo linquantur, murus et ipse rogus.
Francigene torres teneant, celumque favillas,
Fama solum lustret, laus tamen iste labor.
Prologus hic belli, preludia talia scribat;
Major erit, fateor, bellicus ipse liber.

XII. *De conflictu apud Calmontem inter Henricum regem, junctis sibi Normannis, et duces Francie cum cuneis suis; quodque Walenses, ex jussu regis, per fluvium castellum ingressi, ignem immittunt. Franci Normannorum impetum ferre non valentes, regique terga dantes, per medios castelli ignes in turrem sese receperunt, Thebaldo, quodam Francorum principe, in introitu capto.*

675 Dixit, et armatis legionibus undique cinctus,
Francos aggreditur, obstat et ipsa phalans

(1) *Fit.* Ed.

Audax hec animis, bellorum lege perita,
Se tegit, et Danos vi penetrare cupit.
Sic venatorum turbis leo pressus, in ipsas
680 Nititur et sudat tradere cuncta neci ;
Aut refugit tandem laqueos aut stringitur arte,
Jusque suum perdens desinit esse suus.
Haut aliter regis cuneos compellit et arcet
Francigenum virtus ; attamen ille ferus.
685 Obliquos validus sic murus sustinet ictus
Arietis, at fortis permanet ipse lapis.
Hostilis feritas Danorum pariete firmo
Temptato resilit, cornua fracta cadunt.
Hic vis Francigenum, fratris cum rege, sub armis
690 Sudat et in Danos tota repente ruit.
Regem si superet, sibi gloria lausque perhennis,
Nulla sibi luxit clarior ante dies.
Hoc petit, explorat, contentit, anhelat et audet
Armis, militibus, mente, furore, manu.
695 Normannos similis tum vis tum gloria tangit ;
Vis sibi, si vincunt, gloria regis erit,
Seque suosque premi rex non tulit ; ut tulit ardor,
In medias acies irruit ipse leo.
Vis Normannigenum, proprii ducis arma sequendo,
700 Militie turmis firmat et ambit eum.
Gens, ducibus propriis fidissima, tutior armis
Nulla fuit ; nam vi cedere retro nequit (1).
Hec variis bellis totiens pulsata, parentum
Vincendi proprium jus sibi servat idem.
705 Historicis campis lectoris mens spatietur,
Nusquam perspiciet hos petiisse (2) fugam.

(1) *Nota fidelitatem et constantiam et audaciam Normannorum, et quod numquam reperitur ipsos a bello fugisse.* Note marginale.
(2) *Experiise.* Ed.

Dedecus armatos fugiendi jus probitatis
Non patitur, mavult ferre pericla necis.
Regia vis sevit Normannicus horror,
710 Virtus Francigenum cedit ad arma ducis.
Nam nec ferre valens Normannos, nec superare,
Inde capi metuit, vitat et inde necem.
Quod reliquum fuit, hostiles acies fugiendo,
Calmontem repetit, sed duo mira videt.
715 Cum Normannigenis a tergo rex galeatus
Insequitur, castrum pascitur ipse rogus.
Tranarant fluvium Walenses, menibus ipsis
Vulcanum dederant, depopulantur opes.
Clamor prosequitur fugientes, clamor ubique,
720 Cum gemitu planctus aëris ampla replet.
Innatus vigor et levitas Walensibus arma
Suggerit, implentur queque furore, rogo.
At rex Angligenum per flammas ire coëgit
Francorum cuneos, nec modus ipse fuge.
725 Prevenit hic socios, alium preoccupat ille,
Ingreditur castrum rexque suique simul.
Hi fugiunt, castrum subeunt, rapiuntur in arcem,
Rex aciesque sue menia clausa tenent.
Cum strepitu portas ingresso rege, Tebaldus,
730 Dux cunei, capitur, sistitur ante ducem.
Rex dux subridens, captum nunc asserit; ille
Belli sic varios commonet esse modos.
Quem fidei proprie rex credens, laudat, honorat,
Tum quia perstiterat, tum quia solus erat.
735 Nobile castellum sic captum, depopulatum,
Gloria fit Danis Francigenisque dolor.
Sic flos militie Francorum, frater et ipse
Regis, cum cuneis clausus in arce gemit.
Preda ditatus Walensis tendit ad arcem,
740 Ignibus et ferro solvere clausa cupit.

Parcere sed victis, confusio quos sua clausit,
Rex jubet, armatos detinet ipso retro.
Hinc rediens (1) Normannigenum vim laudat et arma,
Francorum probitas senserat ista duo.
745 Egressis (2) cuneis, Vulcanus sevit et audax,
Eolus e contra prelia firma gerit.
Impellunt sese mutuo per tecta, per aulas ;
Bella Ceres sentit, pene perusta gemit.
Pampineas Baccus dum perdit et ipse coronas,
750 Walenses pedites abluit unda Dei ;
Vulcani varias transmittit Juno favillas,
Ethereo fratri flava Diana jubet.
Hec magni Martis rabies violenta peregit,
Imperio solo numina tanta movet.
755 Omnibus exustis, dum menia sola relinquit,
Francigenis pandit quam sit ad arma potens.

XIII. *Quod hec Ludovicus, rex Francorum, audiens, cum Francis, ira movetur, Gisorcium vel Rothomagum deliberant obsidendum. Quodque olim Otho, Alamannorum imperator, cum Ludovico, Francorum rege, et Arnulfo, Flandrensi comite, honc urbem simul, post mortem Willemi filii Rollonis, obsederunt. Othonis imperatoris nepos cum Alamannis per fluminis* (3) *pontem ingressus, cum repentino civium tumultu excipitur, et cum suis super ipsum pontem trucidatur. Arnulfus, comes Flandrensis, cujus consilio imperator et rex advenerant, nocte eadem, cum suis fuga elabitur. Otho id cognoscens, necemque nepotis et suorum deflens,*

(1) *Ingrediens.* Ed.
(2) *Egressus.* Ed.
(3) *Dudo ponit quod hoc fuit super pontem porte Belvacensis.* Note marginale.

urbemque considerans captu difficilem, cum Ludovico, Francorum rege, et toto exercitu ab obsidione discedit.

Exhinc cum sociis Gisorcia menia tendit,
Miles uti sudat, pondere spumat equus.
Castro succenso, Francis virtute fugatis,
760 Urbes et patriam fama volando replet.
Ludovicus ut hec, comitum procerumque caterva,
Comperit, Angligenum regis ad arma stupent (1),
Horrent tam subito subversum nobile castrum,
Divitiis pollens, menibus atque situ.
765 Horrida vis que tanta die subvertit in uno,
Quod vix obsidio debuit arcta quidem !
Tam clari sceleris pondus dum concipit egre,
Rex procerumque furor totus ad arma ruit.
770 Ardua Francigenum virtus glomeratur in unum,
Hancque Medunta tenens, congerit arma, faces :
Regis castellum rex binis his superavit,
Pro feritate pari preparat ista duo.
Nam sibi multimodum ferri genus, ignis adurens,
Ut Normannigenas opprimat ense, rogo.
775 Paceium totum Gisorcia tecta peruret :
Hec Normannigenum proxima castra sibi.
Murmurat at frustra subvertere Cesaris urbem (2),
Ut caput extinctum languida membra gerat.
Sed sibi concludit nisus audacia falsa,
780 Nescit ab antiquo quis sit in urbe vigor (3)

.....

(1) *Stupet*. Ed.

(2) *Ubem*. Ed.

(3) *Nota de fortitudine ville Rothomagi, que aliquando simul obsessa fuit ab imperatore, a rege Francorum, et a comite Flandrensi in eadem die ; et interempto nepote imperatoris, omnes recesserunt, nec aliud facere potuerunt.* Note marginale.

XIV. *Quod, post Calmontem combustum, regis et Francorum iram consul Flandrensis prospiciens, colloquium Anglorum regis petit, iracundiam regis et Francorum intimat, rogat ut aliquid in terra sua exuri permittat, quo sic eorum ira conquiescat, idque Mathildis imperatrix filio mandat. Rex Andeleium exuri permittens, burgensibus ut villam vacuam linquant et inde recedant mandat* (1).

. . . . . .

Fulmina sacra Jovis qui fabricat, auxilietur,
Cum zephyro boreas fulmen ad astra ferant.
Sit licet hic burgus sine muris, est (2) tamen ista
Francigenum probitas, ignis ut igne ruat.
785 Ignis castelli burgi superetur ab igne,
Est hic pontificis, regis et illud erat.
Pontifici, reddat metuit quod solvere regi.
Armis iste cavet, tela sed ille gerit.

XV. *Quod Ludovicus, rex Francorum, Andeleium armatus cum exercitu petit, villam eandem ecclesie Rothomagensis, sine murorum objectu, vacuam ab hominibus, reperit, ignem in vindictam nobilis castri sui Calmontis supponit, multique in itinere tam homines quam equi vi caloris sunt extincti; sicque ira satiata, postea cum rege Anglorum pacem fecit.*

Consulis acceptis verbis, rex Francicus armis
790 Induitur, collo reliquiasque gerit:

(1) Ici manquent environ cent vers, qui remplissaient le fol. 139 du ms. Le sujet en est indiqué par la rubrique du chapitre.
(2) *Et*. Ed.

Tutior incedit divino numine fretus,
Vallatus variis ossibus ipse sacris.
Corpus pontificis, quem pertulit Ariopagus,
Quod secum tulerit fama tremenda refert.
795 Is presul, cesus capitali jure, peremptus,
Francigenas forsan cerneret ense rui.
Archa Dei quondam capitur, ruit Israel ipse;
Exemplo simili non timet iste capi.
Armatur virtus Francorum, gloria regum,
800 Villas ignis habet quo suus extat iter.
Hic Audoenus villas sex perdit et unam,
Has uri patitur Nigasiique vadum.
Ista futura sciens, rex tunc Andeleienses (1)
Linquant ut vacuas precipit ipse domos.
805 Naves conscendunt, sua gestant, longius astant;
Sublatis opibus stat vacuata domus.
Assunt Francigene, bellum cum pariete nudo
Ignibus et ferro cum feritate gerunt.
Quilibet hoc predo potuit, potuit puer unus,
810 In vacuam villam stramina ferre faces.
Hinc Franci redeunt, tanta probitate peracta;
Ecclesie Rodomi villa perusta manet.
Preclari castri fuit hec vindicta perusti,
Ista tamen Francis gloria nulla fuit.
815 Dum venit hincque redit rex et vis Francigenarum,
Torruit hos Phebus, Syrius ipse simul.
Ethereus fomes, vis solis tanta perussit,
Ut pudeat peditum commemorare sitim.
Horrida namque sitis homines extinxit equosque,
820 Reddit egros potus turbidus, immo lues.
Ex morbo subeunt mortem per castra per urbes,
Talis et in Francos ultio diva fuit.

(1) *Andelerenses*. Ed.

Inclyta Mathildis, si jam translata fuisset,
Stragibus ex multis, heu dolor, ille dies!
825 Cernens quod natus sibi solus et unicus esset,
Ne bellum gereret precipit, idque monet.
Infidos animos, casus varios docet esse.
Si ruit is, periit matris et omne genus.
Regibus ambobus pro tempore pacificatis,
830 Discedunt acies, et sua quisque petit.

XVI. *Altercatio inter Normannum et Francum pro Andeleio burgo Rothomagensis archiepiscopi, a toto Francorum exercitu combusto; et Calmonte, nobili Francorum castello, muris et aqua cincto, uno Normannorum et regis impetu destructo.*

FRANCUS.

Jactitat id Francus quod burgum diruit igne,
Clarum divitiis, culmine, plebe, situ.

NORMANNUS.

Sed nec divitias rapuit, plebem nec abegit,
Stat situs, exussit culmina sola soli.
835 Deerat hic murus, munimen defuit arcis;
Urere sic villam nil probitatis erat.

FRANCUS.

At Normannigenum vis murus debuit esse,
Arx galeata suis rex procerumque vigor.

NORMANNUS

Horridus hic armis, animi feritate tremendus,
840 Noluit : at potuit sternere cede, rogo.
Consilium procerum fuit hoc et jussio matris,
Quod castrum tulerat, villa perusta ferat.

FRANCUS

Quid sibi consilii, quid mater jusserit, ille
Solus habet, burgum Francus in igne tenet.

NORMANNUS

845 Gloria nulla fuit, villas quod Francus adussit
Sic vacuas, immo dedecus istud erit.
At si Vernonem (1), ubi rex tunc deguit, igni
Traderet, id virtus, gloria lausque foret.

FRANCUS

Deguit, at vidit galeatas ipse phalanges
850 Francigenum terras urere sepe suas.

NORMANNUS

Nequaquam vidit, sed villas urere cessit,
Ut sic Francigenum desinat ipse dolor.
Matris erat Christi burgus, sic ecclesiarum
Predia, Danorum jus tamen illud erat.

FRANCUS

855 At timor invasit regem Danosque superbos,
Gloria Francorum dum sibi tota venit.

(1) *Bernonem.* Ed.

NORMANNUS

Culpatur regis pietas quod Francigenarum
Non stravit cuneos quos necat arcta sitis.
O si turba recens Danûm cum rege volasset,
860 Horrida quam strages tingueret arva soli !

FRANCUS

Tingueret. At Franci poscebant nil nisi bellum,
Ipsa sitis fuerat Danicus ille cruor.

NORMANNUS

Cur non Paceium cinxit, si bella volebat?
Namque Medunta prope, planus et ipse locus.
865 Sterneret hic acies Danorum Francica virtus;
Sanguine profuso, cederet ipsa sitis.

FRANCUS

Danorum terras intravit bellica virtus
Francigenum, belli spes sibi sola quidem.

NORMANNUS

Regis avus bello Francos regemque fugavit,
870 Frandrensis fugiit consul et ipse simul.
Cum Ludovico repetebat jura paterna,
Flandria cum Francis hic tremefacta fuit.

FRANCUS

Bellorum casu nunc is nunc ille fugatur;
Vivere que servat nobilis illa fuga,

NORMANNUS

875 Coram Francigenis Flandrensibus inclita virtus
Perstitit, haud casu, sed probitate sui.
Jure pari metuunt a Danis nunc superari,
Quos feritas armat, cum sibi tanta manus.

FRANCUS

Franci nec numero superantur nec probitate,
880 Normannis numerus stat probitasque minor.

NORMANNUS

Si numero superat, numerus numeretur (1) ab ense,
Detrahat ut probitas que probitate tument,
Cum decies quinos Tideus solus superavit,
Pandit quod numerus sit probitate minor.

FRANCUS

885 Militie probitas Francorum fortis et audax
Extitit, id notum semper ubique fuit.

NORMANNUS

Quid notum ? Quibus ? at sibimet. Rollo quid in armis,
Que tulit ? Aut primum Neustria cujus erat ?
Hanc quotiens repetunt, fortes victique recedunt,
890 Ut timidus Danus clarior ense micet.

FRANCUS

Quidquid pretendat Normannus, quidquid anhelet,
At Francis minor est nobilitate, manu.

(1) *Minuetur*. Ed.

NORMANNUS

Exul is, a Troja quem Tindaris ipsa fugavit,
Preferet ah ! (1) Danis et genus atque manum.
895 Huic genus a Troja succensa, depopulata,
Dacia, terra potens, hos tulit hosque dedit.
Huic manus alta quidem, major sed Danus in armis
Quidquid habet Francus abstulit idque tenet.

FRANCUS

Iste tenet summo tamen hoc sudore, labore,
900 At cum deliciis Francus ubique manet.

NORMANNUS

In thalamis vivat. Danis sudorque laborque.
Virtus vi capitur, desidiaque ruit.
Armis assuetus, lentus, fert pondera belli,
Deliciis mollis protinus arma fugit.
905 Gloria Rollonis num major quam labor ipse?
Calmontis labor hic gloria perpes erit.

FRANCUS

Ussit quod castrum, quod paucos depulit armis,
Angligenum regi gloria parva fuit.

NORMANNUS

Immo maxima, nam procerum vis Francigenarum
910 Exilit e castro, sicque fugata redit.

(1) *Ha.* Ms.

Castrenses nequeunt castro (1) succurrere flammis;
Uritur, ac hostes depopulantur opes.
Hic Francus vacuas sine muris comparet edes,
Nam collata duo certius ipsa nitent.
915 Castrum divitiis preclarum, menibus, arce,
Plenum militia, nobilitate, ruit.

FRANCUS

Impietas hec, non probitas; Danus sceleratus,
Walensis zabulus, rex sine mente fuit.
Nil Francus meruit, sed nec rex religiosus,
920 Ut sua sic vastet destruat ille ferus.

NORMANNUS

Rex ferus Anglorum, nulli probitate secundus,
Ut pacem pariat, talia bella gerit.
Complanare viam natis desiderat armis,
Obvia cuncta terit, robora cesa ruent.
925 Regnantis catulos timet, horret Francica virtus,
Ne diadema sibi querere cede velint.
Primitus id temptat quod conterat ora leonis,
Ut catuli parvi jam sine patre ruant.
Nam quis vi (2) propria superaret quinque leones?
930 Cum sibi par feritas, par genus atque vigor.
Hinc rex Angligenum, dux hinc Normannigenarum,
Andegavis consul belliger inde sedet;
Hinc consul Britonum, cum consule Pictaviensi,
Undique Francorum menia clausa tenent.
935 Sic leo cum catulis Francorum diruat urbes,
Talibus ac tantis sunt duo regna parum.

(1) *Castro nequeunt*. Ed.
(2) *In*. Ed.

Perlegat et memoret Francus Normannigenarum
Gesta, quibus virtus Danica clara micat.
Et Normannigenis tunc sentiet esse minorem,
940 Ac proprii metuet perdere jura troni.

XVII. *Quod post hec Henricus rex contra quosdam Britonum principes sibi rebelles cum valida manu pergit.*

Interea Britonum quosdam rex Anglicus armis
Appetit, et domitos in sua stare jubet.
Dumque moratur ibi, terit hostes, opprimit, arcet,
Diffugiunt Britones per vada perque nemus.
945 Arthuri dapifer, Rollandus, consul et idem,
Tunc Britonum regi dirigit ista suo.

XVIII. *Epistola Rollandi, cujusdam comitis* (1) *Britonum ad Arturum, olim Britannie regem, missa, qui tunc apud antipodes degebat, insinuans quod Henricus, Anglie rex, terras ejus invaserat. Quare vel ipse in auxilium suorum veniret, vel legiones armatas citius transmitteret.*

« Arturo regi trino, Rollandus, in armis.
Efferus Henricus pellit ad arma tuos.
Providus ergo tuis, quorum tu solus haberis
950 Et rex et dominus, auxiliare cito.
Aut per te venias, aut mittas huc (2) legiones,
Aut juveni manda bella necemque. Vale. »
Hec legit Arturus, frendet, furit, estuat ira,
Rollandoque suo scripta remittit ita :

(1) *Principis.* Ed.
(2) *Tunc.* Ed.

XIX. *Epistola Arturi ad predictum Rollandum. Et quod super his cum toto exercitu suo apud podes Arturus colloquium habuit.*

955 « Arturus, Rollando. Magnus ventus in auras
Solvitur et renuit tollere flabra diu.
Impetus Henrici michi notus, nil timeatur,
Audiet a Rodomo tristia : mater obit.
Cloto colum, Lachesis filum tenet, attrahit, occat
960 Atropos, et vitam deserit illa quidem.
Desinet hic Britones, nec quibit ferre dolorem,
Nam nichil in mundo carius extat ei.
Attamen huic nostros apices michi mittere dignum,
Ut sciat Arturum, deserat atque meos.
965 Si vero juvenis tantus despexerit ista,
Lucius ut sensit, perferet ista. Vale. »
Hinc vocat Arturus socios, regique superbo
Ut Britones linquat, mandat et ista legat.

XX. *Epistola Arturi, regis Britonum, ad Henricum, regem Anglorum, in qua bellum ei indicit, nisi Britanniam reliquerit; ubi commemorat quod rex Britonum, rex Anglorum et rex Francorum fuerit; ubi etiam bellum describit quod contra Lucium Hiberium, Romanum principem, et totum Italie exercitum in Francia gessit, eumdem Lucium peremit; deinde contra Modredum, nepotem suum, qui Angliam invaserat, aliud* (1) *bellum habuit, in quo ipsum interfecit, ibique vulneratus sit; sed herbis fatalibus perunctus* (2), *adhuc vivit.*

« Arturus magnus, fatorum lege perhennis,
970 Henrico juveni, quod meruisse putat.

(1) Les mots *deinde* — *aliud* sont omis dans l'édition.
(2) *Permixtis.* Ed.

Naturalis habet probitas animusque virilis
Ut prius indicat prelia, deinde gerat.
Dedignatur enim prosternere more latronum,
Quorum stat sceleris fraude necare dolo.
975 Provocat, ostentat pro viribus arma, cohortes,
Que sibi bellica vis; pacificare studet.
Talis Alexandri virtus, et Cesaris ardor,
Usus et iste michi semper ad arma fuit.
Conflictus varios habui laudisque triumphos,
980 Viribus armatis semper ubique tuli.
Substravi Britones armis, Anglosque subegi,
Francorum domui turgida colla jugo.
Sic triplicis regni diademata tunc tria gessi
Solus, in his terris par michi nemo fuit.
985 Frustra te jactas opibus, virtute vel armis,
Hos super excello quos simul orbis habet.
Non michi magnus rex Assyrius equiperetur,
Primus qui populos subdidit ense sibi.
Sed nec Chaldaicus, judaica menia sternens,
990 Plebes tam validas pellere sede valens.
Nec Macedo, mundi dominus, quem solque sororque
Arboris infusi lumine jure canunt.
Nec radians armis, quem primum pertulit Anglus,
Romulidum virtus ingeniique decus.
995 Nec pius hic cujus genuit Colecestria matrem,
Abluit a lepra quem sacer ille latex.
Nec decus ille ducum, qui solus Francigenarum
Arces Romuleas subdidit ense sibi.
Nec tuus hic Rollo, domuit qui Francica colla,
1000 Nec dux Angligenum qui diadema capit.
Horum quis virtute sua reges superavit
Tot tantosque simul quot mea sola manus?
Gallica regna michi subjeci; Roma furore
Concutitur, mandat bella nefanda, neces.

1005 Ut sibi restituam terras hortatur, ab Anglis
Tunc sub jure meo dura tributa petit.
Que duo contempnens, verbis brevibus duo mando :
Romam nec timeo, debeo nilque sibi.
Responso tali furit arduus ille senatus,
1010 Imperiumque suum deperiisse gemit.
Lucius Hiberius consul, preclarus in armis,
Eligitur, vires Romuleaeque simul.
Romulidis ducibus tot vel tantis aciebus
Preparat ex arvis (1) quidquid ad arma satis.
1015 Cum sibi subjectis terris Romania tota
Convenit, armorum Cesaris ipsa memor.
Hanc sequitur mundus, ceu torrens turbidus, Alpes
Transvolat, Arturum vis galeata petit.
Grecia, vis, sensus, decus omne philosophie,
1020 Cum ducibus, cuneis, tota superba venit.
Linguarum mater, properat Babylonica virtus,
Nescit quid sibimet barbarus ille sonet.
Sic Egyptus adest, olim fons astrologie,
Nec videt in stellis tristia bella sibi.
1025 Media, cum Persis, magicas non consulit artes,
Ut casus varios ante notare queat.
Africa, Jugurte bellis famosa, dolosos
Dirigit huc Numidas, nec sibi fraude pares
Libya cum Syris, Hispania, Parthia, Creta (2)
1030 Conveniunt, magnis viribus arma parant.
Bithinie virtus, simul ipsa Boetia tota
Cum Phrigiis temptat tradere cuncta neci.
Gentibus his tantis, tam fortibus, associatis,
Regum quisque suam dirigit, arcet, habet.
1035 Ne tibi mendosus videar ; relegens mea gesta,
Horum eum populis nomina scripta vides.

(1) *Exarium.* Ms.
(2) *Coetu.* Ed.

Bis septem fuerant, aberat sed spiritus ille
Qui pacata regit pacificosque facit.
Arturum properant propriis constringere loris
1040 Sed licium Sanson rumpit, et inde furit.
Quid moror? Arturus, cum mundo preliaturus,
Per mare per Syrtes advolat, arma parat :
Hunc sequitur Britonum rutilans exercitus armis ;
Nobilis Anglorum juncta phalanga venit.
1045 Walia pone subit, ruit hinc Hibernia tota,
Gens utraque nitens tunc feritate pari.
Scotica sic virtus, simul et Norwegia tellus
Congerit armatos, nec probitate minor.
Gallia predives, gens Saxonie violenta,
1050 Dacia, Northmannis clara, repente ruunt.
His fretus cuneis regum comitumque catervis,
Hostibus Arturus preparat arma, neces.
Augustidunum veniens, exercitus altus
Horrida castra locat, Lucius ipse simul.
1055 Arturus mandat propriis discedere terris
Romulidas ; si non, bella cruenta ciet.
Lucius audaces Britones pedibusque fugaces
Asserit, arma suis viribus esse minas.
Audiit Arturus ; preclaras ipse phalanges
1060 Ordinat, at hostis castra locata petit.
Occupat hinc vallem, qua transitus est legionum,
Per medias acies his sibi restat iter.
Aut via Romanis jam ferro facta patescat,
Aut eadem vallis larga sepulcra dabit.
1065 Lucius Arturum cognoscens preripuisse
Gallos, hinc metuit, consulit inde duces.
Hostilis numerus Romanis sit licet impar,
Arturi probitas omnibus horror erat.
Dissuadent bellum tum reges tumque cohortes.
1070 Romani referunt id scelus esse fuge.

Se bellis doctos, numero, virtute priores,
Paucos et stolidos stragibus esse datos.
Crastina lux oritur, Romanos gloria belli,
At Britones patrie jus feritasque tenet.
1075 Insonat hinc tellus clamoribus, inde (1) phalanges
Concurrunt, ruit hec, ensibus illa furit.
Cautius armatas acies rex ipse locarat,
Ordine confuso Lucius ipse venit.
Bello consumpto magna sub parte diei,
1080 Innumeras strages horrida vallis habet.
Partim jam cesis, partim fessis aciebus,
Junguntur Britones Romuleusque furor.
Hinc orientalis virtus, simul imperialis,
Gloria Romulidum consociata venit.
1085 Occidue gentis feritas, Britonesque superbi
Stant hinc, Cornubie vatis aperque simul.
Partibus alterutris furit hostis, comprimit, arcet,
Obruit, impellit qui probitate viget.
In reges, proceres, descendit bellicus ardor.
1090 Que fuit hic rabies, mens memorare fugit.
Hic jam non peditum sed regum maxima virtus
Sternitur et sternit dum fugit, ipsa fugat.
Jusserat in latebris fore de legionibus unam
Rex ferus, ut sociis afforet ipsa recens.
1095 Elevat Arturus signum ; tunc ipsa repente
Advolat, ut cavea prosilit ipse leo.
Claudiocestrensis consul, dux agminis hujus,
Collibus elapsus, fulminis instar adest.
A tergo venit is, nam vultus torserat in se.
1100 Rex oritur, sedes (2) jam miseranda satis.
Cum Gallis Britones concludunt ense phalanges
Romuleas ; proceres undique cede ruunt.

(1) *Inque.* Ed.
(2) *Caedes.* Ed.

Fulminat Arturus, Britonum furit ardor et ira,
Obstat Romulidum vis procerumque manus.
1105 Horrida bellorum facies, cruor undique manat,
Corpora dissectis artubus alta jacent.
Cladibus his tantis jam parcere rex cupiebat,
Sed furit horrendus Lucius ense, manu.
Hinc igitur virtus regalis cingit et urget,
1110 Cum ducibus propriis sevit et ipse magis.
Sic Macedo stagnum dum cingit, turba leonum
In gladios hastas irruit atque ruit.
Quem Britonum virtus gladio (1) superare nequibat,
Transforat hunc hasta, sic ruit ille leo.
1115 Romani fugiunt, reges proceresque fugantur,
Hos magis ipse dolor, quam metus ille fugat.
Prostrati corpus proceres utrique laborant
Ut rapiant; at rex prevalet idque tenet.
Diffugiunt alii tum per castella, per urbes,
1120 Hos saltus retinet, hos vada ceca necant.
Separat Arturus sociorum corpora cesa,
Sarcophagis donat per sacra deinde loca.
Cetera per campos tumulari jussit, honori
Romulidum clemens consulit, immo suo.
1125 Precipit afferri tunc corpus principis, illud
Romulidis mittit, mandat et ista simul.
Arturus, Rome petiisti, sume tributum,
Immo tributa, tuis premia digna minis.
Arturum superare cupis, sed te superavit.
1130 Accipe que mitto, nobile corpus habes.
Cetera terra tegit (2), numerabis quot sibi desint,
Nam meus hos mucro dinumerare nequit.
Te Constantinus possedit, mater et ejus;
Protulit hos ambos Anglia nostra potens.

(1) *Gladios.* Ed.
(2) *Legit.* Ed.

1135 Hos imitans armis, Anglorum jura reposco,
Angligeni regni qui diadema gero.
Si michi subdaris patientius, ipsa valeto.
Si non, horrisonis viribus arma paro.
Hostibus hinc cesis Arturus et inde fugatis,
1140 Ut Romam capiat, preparat, instat iter.
Perfidus ecce nepos regis Modredus, in armis
Strenuus, Anglorum tunc diadema rapit.
Huic rex reginam, regnum commiserat, altos
Romulidum cuneos dum necat atque fugat.
1145 Qui commissa duo proprium jus efficit. Audit
Arturus, tumidum transvolat inde fretum.
Excipit Arturum cum magnis viribus ille;
Innumeris cesis perfidus ipse fugit.
Nil tamen a cepto (1) desistens, arma resumit,
1150 Restaurat cuneos, prelia seva movet.
Advolat Arturus, legiones ordinat; audax
Modredus simili cum feritate venit.
Cum sexagenis hic milibus arma capessit,
At patruus major vi numeroque fuit.
1155 Devorat hic hostes aper audax Cornubiensis;
Fusis innumeris, perfidus ille ruit.
Se patruo noscit sic traditor ille minorem;
Principe prostrato, perfida turba figit.
Rex Constantino cognato sceptra relinquit,
1160 Modredi geminos depulit iste ferus.
Saucius Arturus petit herbas inde sororis;
Avallonis eas insula sacra tenet.
Suscipit hic fratrem Morganis nympha perhennis,
Curat, alit, refovet, perpetuumque facit.
1165 Traditur antipodum sibi jus; fatatus inermis (2),
Belliger assistit, prelia nulla timet.

(1) *Accepto.* Ms.
(2) *In armis.* Ed.

Sic emisperium regit inferius; nitet (1) armis,
Altera pars mundi dimidiata sibi.
Hoc nec Alexandri potuit, nec Cesaris ardor,
1170 Ut superum tellus sic sua jura ferat.
Antipodes hujus fatalia jura tremiscunt;
Inferior mundus subditus extat ei.
Evolat ad superos, quandoque recurrit ad ima;
Ut sua jura petunt, degit ubique potens.
1175 Quis fuit Arturus vel quis sit, cernis. At ista
Non jactando loquor, sed tibi pando sacra.
Plenius hec qui scire cupit, mea gesta revolvat,
Que Monemutensis vera loquendo canit;
Dinumerat mea bella liber Gilde Sapientis;
1180 Cum (2) duodena refert, maxima sola notat.
Quot mea sola manus prostravit in duodeno,
Non mea, sed Gilde lucida verba sonant:
Ter decies deni, ter centum, ter duodeni,
Centies et bini, quatuor adde simul.
1185 Impetus hos unus Arturi misit ad Orcum,
In bello timidis fabula talis erit.
Prelia priscorum numera, lege, cerne, recense;
Quod tua sint ludus, protinus ipse vides.
Regnum Francigenum cum regibus Angligenarum
1190 Splendida bella scio, risus at inde meis.
Nunc igitur mando, Britonum castella relinque,
Respuit alterius gens mea ferre jugum.
Nuper ab antipodum per te tellure recessi,
Per Cicladas veniens prelia multa tuli.
1195 Indos cum Parthis, itiner nostrum prohibentes,
In campis Arabum fudimus, hosque tegunt.
Nam fatata cohors; at impenetrabilis armis,
Quelibet obtruncat, pervia cuncta facit.

(1) *Inferus, enitet.* Ed.
(2) *Dum.* Ed.

Sic ferus Eacides, si corporis inviolata
1200 Pars sibi quoque foret, degeret ipse diu.
En mea classis adest, sed classis tota perhennis
Littoribus notis appulit, arma gerit.
Quod mea jura tenes simul et rex Francigenarum,
Hoc innatus amor fert pietasque mea.
1205 Id quare patiar tam longo tempore farer (1);
Sed michi nota quidem celica fata vetant.
Bellis antipodum pacatis atque sopitis,
Apparebo ferus, orbis et ipse fremet.
Mundane molis tunc nobis climata cedent,
1210 Imperium nostrum terra subacta tremet.
Ne tamen id videas, te jussis supprime nostris,
Ut tibi vel natis regna quieta sinam.
Ipse quidem silvas, fessas refovens legiones,
Incolo Cornubie, proxima castra loco.
1215 Si mea jussa times et amas, et pronus obedis,
Jam valeas; si non, nuntio bella tibi. »

XXI. *Quod rex Henricus epistolam Arturi coram proceribus suis in silva Britonum legi fecerit, quidque de ea dixerit.*

Rex Anglus legit hec, Britonum quem silva tenebat.
Subridens, sociis, nil pavefactus, ait :
« Magnus Alexander, Darii dum scire laborat
1220 Que vis, que probitas, ut peregrinus abit.
Obviat hinc regi rex pauper solus; at ille
Querit, Alexander si sibi notus erat ?
« Est mihi notus, ait rex, audax, clarus in armis,
« Idem philosophus ac probitatis apex. »

(1) *Frater.* Ed.

1225 Porrigit hinc apices proprios plenosque minarum,
Mandat ut ille ferus rura paterna petat.
Orat Alexandro deferri ; jurat et ille.
Ipsius in manibus scripta futura fore.
Hinc socios repetit pauper peregrinus et hostis,
1230 Solvitur in risum tunc proceresque sui.
Ordinat hinc acies, bellorum jure peritus,
Tota quibus tellus pene subacta fuit.
Indicit bellum Dario, multisque peremptis,
Per silvas Darius dum fugit, ense ruit.
1235 Arturi Darium presens feritas imitatur,
Nos terrere cupit carmine necne minis.
Romulidas stravit, nec possumus inficiari,
Inque locis istis par sibi nemo (1) fuit.
Rex Britonum, rex Anglus erat, rex Francicus idem,
1240 Scimus plura quidem subdita regnas ibi.
Antipodum sibi jura favent, fesse legionis
Corpora nunc refovet, castra propinqua locat.
In silvis Darius, percussus morte, sopitur,
Is forsan simili jure perire cupit.
1245 Lazarus ille necis subiit bis jura tremenda,
Ni sibi fata darent, posset et iste mori.
Ut Britones linquam, quos dant Normannica jura,
Mandat; si renuo, bella parantur, ait.
Ne se contempni reputet, nunc scripta remittam.
1250 Mitior is forsan vi rationis erit. »

XXII. *Epistola ejusdem Henrici regis ad eumdem Arturum, quodque Britaniam sub ejus imperio tenere velit.*

« Arturo magno, fatorum lege perhenni,
Henricus juvenis, cum feritate modum.

(1) *Nemo sibi.* Ed.

Actus cum verbis moderari, dum sapientis
Sit proprium, nostrum pignus id esse volo.
1255 Nobilis Arturi probitas laudatur ubique;
Novi quod fuerit fulgur ad arma potens.
Hunc cum vivat adhuc fato, qui provocat armis
Perdet jura troni, corruet ille simul.
Comperit hoc dudum Romani gloria regni;
1260 Lucius Arturi tristia bella tulit.
Talia bella ferat qui pacis federa vitat,
Nostrum velle manet, nolleque semper idem.
Neustria Rollonis fuit, atque Britannia tota;
Has a Francigenis federe pacis habet.
1265 Heres juris ego gemini; quod jure reposco,
Dat genus et ratio, lex favet, immo jubet.
Ut linquam Britones mandas iratus; at ira
Fit furor insipiens, dum ratione caret.
Gens tua ferre jugum cavet, at Normannigenarum
1270 Pertulit et perfert hoc graviusque feret.
Qui contra stimulum pugnat, bis pungitur ille,
Quod vitat patitur, durius illud habet.
Fama volat, Mathildis obit, lux imperialis;
Unicus hujus ego; fata tulere duos.
1275 En quia mandasti, quia confert fama dolorem,
Ut tuus fert animus, amodo cedo tuis.
Cedo sed ad tempus; nam tota Britannica bellus
Tum mihi tum natis est referenda meis.
Hanc sub jure tuo, sub pace tua teneamus;
1280 Jus tibi, pax nobis, totaque terra simul.
Hec quia concedis, valeat tua vita perhennis,
Nam mea sub Christi jure perhennis erit. »

XXIII. *De nuncio mortis imperatricis, matris regis, quodque tunc Arturo rex* (1) *obtemperans a Britannia recesserit.*

Interea Mathildis obit, regique repente
Beccensis monachus mittitur, exit, abit.
1285 Is regi notus, tum carus tumque fidelis,
Hinc magis est iteris dulcior ipse labor.
Nec tamen hic cassus ; baculo, dulcedine pleno,
Ditatur rediens, at monachilis erat.
Dulcior at multo quam pontificalis habetur,
1290 Hic et ille simul consepelitur eis.
Si bene quid meruit, datur huic sceptrum probitatis ;
Si male, de proprio verbera dura feret.
Corpore nudatus, pastorum spiritus exit,
Hujus judicium ferrea virga regit.
1295 Intimat hinc regi monacus quod mater obisset.
Ultra credibilem flet, gemit ille, modum.
Nec mirum ; sibi nil in mundo carius ipsa,
Nam diadema dedit, mater et ejus erat.
Testatus pater hinc, ut matrem semper amaret
1300 Jussit, obediret consiliisque suis.
Hinc memor, imperio matris tria subdidit iste,
Se, proprios actus, imperiumque simul.
Jam duo conqueritur, quod vim sibi consiliorum,
Pro se pauperibus munera multa dabat.
1305 Consilio proprio datur is ; nam, matre remota,
Anchora ceu navim, deserit illa virum.
Militie studiis pressus, stipendia multis
Distribuit ; pastor pauperis esse nequit.

(1) *Rex* omis. Ed.

INCIPIT LIBER TERTIUS

I. *De Mathildis imperatricis obitu, quodque anno ab incarnatione Domini MCLXVII apud Rothomagum defuncta sit, decima die mensis Septembris die Dominica, tertia ipsius diei* (1) *hora, Henrico rege, ejusdem filio, tunc in Britania morante; quodque antea ut apud Beccum tumularetur eidem concessit, idque olim, de partu Gaufridi filii sui, infirmata, aput Rothomagum a patre impetraverit.*

Anno milleno, ter bino, tum simul uno,
    Sex decies deno, magna Mathildis obit.
Stella die solis rapitur sub sole diei,
    Sol verus simili surgit in orbe die.
Rectius hanc solem quam stellam forte vocabis,
    Nam similis soli quisque futurus erit.
Solum sola regens natum, binisque carebat
    Quos solos habuit, quos dedit ipsa solo.

(1) *Die.* Ms.

Tertia solis erat, cum, tali parte diei,
10 Spiritus ille venit, spiritus hujus abit.
Decalogi jussum tenuit tum mente vel actu,
Septembris decima cessit et ipsa die.
Cumque dies Phebus cum Virgine bis duodenos
Splenduit, eternum cepit habere diem.
15 Justitie solem videat cum virgine sacra,
Sic et apostolicum propheticumque chorum.
Infirmata diu, paulatim deficiebat,
Subtrahitur vite vividus ille vigor.
Corpus, tum senio tum febribus attenuatum,
20 Spiritus ut linquit, claustra beata petit.
Ex meritis credi licet hoc, nam semper egenos
Fovit, et ecclesiis munera multa dedit.
Hujus, pre cunctis, beneficia lauta recensent
Beccenses monachi, cujus et ossa tenent.
25 Ut natos proprios hos (1) solos semper amavit,
Unus ut ex illis sic erat inter eos.
Gauffridum pariens, premitur valitudine forti ;
Primus et in natis hic moriturus erat.
Dissolvi metuens, Becco petiit sepeliri,
30 Tunc Rodomi degens annuit ipse pater.
Que Becco dederit tunc temporis enumerabo,
Carmine finito (2), singula vera loquar.
Subnectam breviter post mortem que dedit ejus
Ipsius ex rebus filius ipse suus.
35 Que vero monachis aut ecclesie faciende
Contulit in censu, noscere nemo potest.
Hinc igitur natus postquam diademate fulsit,
Cum Becci monachis vivere dulce fuit.

(1) *Nos.* Ed.

(2) *Scilicet in fine libri, ubi in prosa enumerantur, sed prius ponitur quedam prophetia Merlini de seniore Henrico et juniore, etc.* Note marginale.

Pluribus hac lustris Pratensis cella refulsit ;
40 Prati flos moritur, stella serena ruit.

II. *De situ ecclesie prioratus Prati et loci ipsius ubi defuncta fuit, et de laude ipsius imperatricis, quodque rex eidem dixerit ut apud Beccum sepeliretur; quodque Beccum delata, ab archiepiscopo Rothomagensi Rotrodo et Arnulfo, Lexoviensi episcopo, pluribusque abbatibus et proceribus, tradita sit sepulture, positaque honorifice sub corona ante majus altare ecclesie.*

Stat Rodomum juxta locus hic qui nomine Prati
Censetur, monachis congruus ipse satis.
Meridiem spectat septemtrionalis in urbem,
Flat Boreas, flumen dirimit ista duo.
45 Alluit hinc Pratum crescentis fluminis unda,
Nominis inde sui vim locus ipse trahit
Nobilis hic cellam structure condit, adornat,
Henricus senior, ditat honore pari.
Hic Becci monachos degentes semper amavit,
50 Auxit divitiis, predia plura dedit.
Sumptibus ex propriis proprias hic construit (1) edes,
Incolit has, Rodomum cum venit, ipse leo.
Splendidus iste locus rebus vel religione,
Silvis ac fluvio, portubus, urbe, situ.
55 Silva propinqua manens parcum (2) demittit in amnem,
Urbis in obtutus floridus ipse micat.
Huncque feris variis rex presens nobilitavit,
Huic partem nemoris consociare libet.
Ejus in extremis, regalis qua via transit,
60 Hujus regis opus, regia clara nitet.

(1) *Condidit.* Ed.
(2) *Partum.* Ed.

Sit qualis paries prospexit quisque viator,
At varios (1) vultus interiora latent.
Regia picta nitet, auro testudo refulget,
Inscius artis adest, obstupefactus abit.
65 Hanc juxta, Pratum residet, quo flos mulierum,
Flos patrie nostre clara Mathildis obit.
Flore suo Pratum vacuatur, floris odorem
Tellus nostra sapit, spirat ubique novus.
Magnus floris honor, quod conjunx imperialis,
70 Filia quod regis, regia mater erat;
Major quod prudens, quod religionis amatrix,
Quod fons consilii cum pietate fuit;
Quod refovens inopes, monachorum quod pia mater,
Perfugium miseris, pacis amica simul (2).
75 Maximus in studiis dum vivit talibus, exit;
Ut pia vita fuit, finis et ipse bonus.
Ipsa prius nevum pandens quem contulit evum,
Linquens cuncta soli, transit ad astra poli.
Floris odor, quod magna, potens quod religiosa,
80 Quod vite pia mors consociata fuit.
Hac (3) igitur tali tam clara morte sopita,
Urbis presul adest, clerus et ipse simul.
Assunt abbates, proceres, populique caterva
Confluit, exequiis omnis habetur honos.
85 Anno preterito gravis hanc valitudo gravavit;
Eligat ut tumuli jus sibi, natus ait.
Is Beccum memorat, sepeliri quo cupit olim,
Hunc fore regalem denegat illa locum.
« Solus regalis locus est polus, intulit ille;
90 Gloria nec tumuli membra beata facit. »

(1) *Vanos*. Ed.

(2) Le cardinal Maï a supposé sans raison qu'il manquait ici une centaine de vers.

(3) *Hanc*. Ed.

O verbum dignum prolatum regis ab ore!
Culmine regali regia digna fides!
Solicitus curat quo spiritus hujus abiret,
Assidueque precis providet ipse locum.
Ut ratione capax vim perspicit ipsa loquentis,
Dat monachis caris (1) corporis ossa sui.
Virginis eximie clara sepelitur in aula,
Hac rutilat Becci splendidus ipse locus.
Altaris facies pro corporis imperialis
Fulget honore, parem percipit illa vicem.
Sed superexcellit collatus splendor honoris,
Hic sibi sit quantus spiritus ipse sapit.
Quidquid ibi sancti, quidquid consistit honesti,
Hujus erit meritum, dum polus ima petit.
Tradidit hanc tumulo Rotrodus, tunc Rodomensis
Presul, et abbatum conflua turba simul;
Affuit Arnulfus, antistes Lexoviensis,
Ingenii virtus eloquiique nitor;
Preterea clerus, proceres, cetus popularis,
Grexque pius (2) fratrum quos sibi junxit amor.
Permanet in terris hinc gloria tanta sepulcri,
Major et in celis gloria perpes ei.
At pretii magni stat desuper ampla corona,
Jure coronatam clara corona tegit.
Candelabri radiis septenis, lampadibusque
Cum totidem, tumuli condecoratur honos.
Septiformis inest anime jam spiritus ille,
Jam radios veri luminis ipsa videt.
Christi pura caro, sanguis tractatur (3) ad aram,
Que tumulo coram mystica semper adest.

(1) *Cari*. Ed.
(2) *Prius*. Ed.
(3) *Tractatus*. Ed.

Visque sacrificii divini transit in illam
Id meruit cujus munere digna fides.
Optulit ecclesie se totam virginis alme,
Corpus habens, animam diluit ipsa prece.
125 Diluit et Christi vivacis sanguinis unda,
Unda sibi presens, tergere cuncta potens.
Quis numeret quotiens celebrabitur hostia vite,
Vel celebratur ibi cujus et ipsa comes ?
Haurit quotidie celestis dona cruoris,
130 Ut purgata diu mundior astra petat.
Cum monachis caris radianti carne refulget,
Quorum jam meritis associata manet.
Sicque stola gemina, dono redimita perhenni,
Juncta Deo vitae, vita perhennis erit.
135 Gloria sit qualis celi vel quanta videbit,
Quid Deus aut quid sit angelus aut quid homo.
Que cause rerum, vel mundi que sit origo,
Quam natura potens, quam variata manet.
Angelus aut homo quid peccarunt, curve creati,
140 Post mundum quid erit, cui Deus extat homo.

III. *Quod eodem anno obitus ejus tria signa in celo visa sint : nam, mense Martio, cometa in Gallia resplenduit ; mense deinde* (1) *Julio circulus ethereus circa solem maximus apparuit ; mense postea Septembris, media nocte, luna tota sanguinea diutius visa est, regibus post Pascha praeteritum a se invicem discordantibus.*

Anno quo moritur tria signa stupenda choruscant,
Portentum superum, sed latet istud adhuc.
Parisius juxta metuenda cometa refulsit,
Martius hanc fudit, belliger ipse deus.

(1) *Demum*. Ed.

145 Circulus ethereus solem circa radiavit
Maximus, hunc mensis Cesaris ipse dedit.
Nocte sub umbrifera, monstratur luna cruenta,
Septimus a Martis turbine mensis erat.
Horum perspexi medium, multis sociatis.
150 Cetera bina ferunt cum gravitate viri.
Tum monachi plures, tum clerus Parisiensis.
Quorum nota fides religioque manet.
Hec tria quid signent, scit rerum pervigil auctor,
Nam genus humanum cuncta futura latent.
155 Bella, fames, pestes, tempestatesque futuras,
Principis aut mortem talia signa canunt.
Sive novi regis precellentis diadema,
Presulis insignis vel speciale decus.
Hec diversa quidem, non unum sed tria signant,
160 Que tamen hec extent dicere nemo valet.
Jura novi regni forsan canit ipsa cometes,
Luna rubens belli tristia fata refert.
Solaris cyclus, alicujus splendor honoris
Celitus emissus, qui sit in orbe novus.
165 Hec sic conicio, nam talia sepe relegi;
Que tamen ipsa tegant, posteriora docent.
Celica signa latent, donec videantur in actu,
Actus habet quidnam significare velint.
Preteritis signis succedunt significata;
170 Cur micuit signum, res patefacta monet.
Ut reor, instat in his presens discordia regum;
Sed quis erit rerum terminus, ecce latet.
Ut retuli, september habet cum morte Mathildem,
Pascha sequens cernit tela parare, faces.
175 Conveniunt iterum tum reges Francus et Anglus,
Tum proceres, clerus, militieque vigor.
Ut sibi subdatur, rex ut sibi serviat Anglus
More patris, Francus rex petit, immo jubet.

Denegat ille ferus ulli se subdere regum,
180 Impar nec cuneis par diadema nitet.
Regum colloquium tali finitur in ira,
Militie virtus confluit, arma capit.
Francorum probitas consueto more minatur,
Dux Normannigenum ferrea claustra facit.
185 Armatis cuneis cingit castella vel urbes,
Has penetrare parans; Francia clausa gemit.
Nam pax turpis ei, Normannica nec superare
Castra valet, feritas permanet ipsa ducis.
Federa velle sui fient, nec serviet ulli;
190 Exerat en Francus quicquid ubique valet.

IV. *De adventu nunciorum imperatoris Alamannie in Normanniam, Saxonie scilicet duce, ejusdem imperatoris nepote generoque regis Anglie, cum duobus episcopis et comitatu multo. Quodque imperator regi mandaverit, ne cum rege Francorum, non* (1) *ad honorem suum, fedus pacis iniret; auxilium suum, ex quo mandaret, paratum sibi omnino sciret; proque filia ejus, quam predicto duci nepoti suo in conjugium dederat, maximas gratias reddidit; quidque rex eisdem nunciis responderit.*

Dirigit interea proceres princeps Alamannus
Angligenum regi pontificesque suos.
Hos dux Saxonie ducit, dux splendidus armis,
Terris, divitiis, milite, mente manu.
195 Principis isque nepos tanti, nitor imperialis
Culminis; ast alius non minor ejus honor.

(1) *Nec.* Ed.

Nam gener est regis ; natam (1) sibi copulat hujus ;
Conubio (2) tanto clarior ecce micat.
Duxerat hanc comitum majestas pontificumque,
200 Cum quantis opibus dicere nullus habet.
Aurum quis numeret, argenti copia quanta ;
Vasorum species mens memorare nequit.
Quam varii generis pretii, quot regia virgo
Ornamenta tulit, scribere nemo valet.
205 Gloria regalis cum sponse tanta fuisset,
Saxonicus sponsus splendet honore pari.
Virgo duci sociata nitet facieque decora,
Nobilis hec animo, sic patre, matre, viro.
Hanc gens Saxonie dominam se gaudet habere,
210 Illustrat patriam splendida stella suam.
Plus patrie confert fulgoris, laudis, honoris,
Quam sibi Saxonici culminis altus honos.
Hec alti generis, speciosa, futuraque mater,
Hoc triplici nexu nectit amore virum.
215 Dux igitur tantus, transmissus ab imperiali
Culmine, quo regem cerneret, ecce venit.
Milite vallatur multo, proceres comitantur ;
Nolit sive velit, Flandria prestat iter.
Attamen hunc consul Flandrensis ducit, honorat
220 Per proprias terras, regis amore quidem.
Suscipit hunc, belli fomes, Normannica tellus,
Conjugis ob meritum, federa pacis habet.
Obviat huic Anglorum rex, simul oscula libat,
Adfuit Angligeni gloria multa troni.
225 Huic, quia vir nate, legatus et imperialis
Principis atque nepos, solvitur omnis honos.

(1) *Nomine Matildem. Hec filia Henrici II, regis Anglie, nupta fuit Henrico, duci Saxonie et Bavarie ; ex quorum matrimonio natus est Otho, qui fuit imperator.* Note marginale.

(2) *Conubio.* Ms.

Agminibusque suis defertur quidquid honoris,
Urbibus hoc infert rex procerumque chorus.
Hos secum retinens, ut honorus honorat honoros,
230 Dignus honorari, dignior ipse trono.
Hos socios ducit tum, per castella, per urbes,
Hique stupent regis gloria quanta manet.
Hinc regi pandit dux imperialia jussa,
Munera tunc profert, ardua scripta simul.
235 Mandat ne regi Francorum subiciatur,
Cum sibi par virtus, par honor atque tronus;
Non par, at major, patrios si jure triumphos
Inspicit, ac proprii culmina tanta troni.
Federa si pacis ineat, conservet honorem
240 Tum sibi tum natis consulibusque suis.
Imperium natis nitatur pacificare,
Desidis est regis subdere colla jugo.
Si jubet, armatas validas mittet legiones
Ditatas opibus, prelia ferre scias,
245 Si mavult, isdem veniet simul imperialis,
Gloria, sic regem pellet ab arce troni.
Hugonis fuit hic, Karoli non ipsius heres,
Heredes Karoli depulit ille dolo.
Ejus progenies regni pellatur ab arce;
250 Ut sibi par ratio, jus sibi constet idem.
Translatum regnum transferri jure valebit;
Bellica vis tollat quod tulit ipse dolus.
Ecclesiam turbans, populi vastator et ustor,
Nec sibi nec regno proficit, immo nocet.
255 Regis nomen habet, regnis non destruit (1) ergo.
Destructor patrie sedis ab arce ruat.
Heredem Karoli se fatur, Francigenarum
Viribus imperii querit habere thronum.

(1) *Reges non destruat.* Ed.

Jus Karoli jus ejus erit, perquiret ubique
260 Quod lex, quod ratio, quod sibi jura dabunt.
Angligeni regis natum diademate Franco
Donabit, tronus sic nobilis hujus erit.
Rem tantam peraget jus regis et imperialis.
Hoc sua fata volunt, idque cometa canit.
265 Indolis egregie juvenis, probitasque futurus,
Francigenum regno cum patre jura dabit.
Ut pax in terris sub regum sorte duorum
Floreat, is pater est, filius isque patris.
Nominibus solis nature jura notantur,
270 Arctius his vinclum non habet ipsa sibi.
Nata pro regis, regali proque sorore,
Imperii munus reddet utrisque novum.
Natam regis habet qui regis natus habetur,
Heredes duo sunt, sunt duo regna sibi.
275 Preterea grates reddit quod filia tanti
Principis est tanto consociata duci.
In patruum transit quidquid fit jure nepoti,
Et patrui totus ipse nepotis honos.
Letatur regis tanti preventus amore,
280 Cum sibi sufficiat reddere posse vicem.
Si tempus dederit, referet par pignus amoris,
Nec minor accipiens quam fuit ipse dator.
Firmus amicitie trames, nec morte tenorem
Perdit, et in vita fidus ubique manet.
285 In regem tantum jus imperialis amoris,
Talis erit, factis idque probare licet.
Cum duce Saxonie proceres transmittit, ut ipsi
Regis velle sciant consiliique modum.
Imperii virtus ad regis velle parata :
290 Principe cum proprio, si jubet, ecce venit.
Francorum regem sic armis pacificabit,
Ut securus iter quisque viator eat;

Ut nova jura novi regis cum pace noventur,
Prelia sedentur, sit novus ipse tronus.
His hilaris factus rex infert : « Imperialis
Est michi gratus amor, utilis isque meis.
Gratus nam cunctis et regi constat honorus ;
Utilis in bellis fortis adesse potest.
Contra Francigenas tumidos quod prelia mandat
Principis affectus, is michi nempe placet.
Colla superborum reprimantur, pacificentur
Tum plebs tum proceres imperiumque simul.
At Normannigenum sibi sufficit ardua virtus
Audax, Francigenum prelia nulla timet.
Quidquid ad arma potest Francorum vis galeata
Monstravit, rediit, jam sua rura fovet.
Dacia sola fuit, Francorum menia stravit,
Horum tunc patrie pars sibi magna datur.
Nunc sociis Anglis, quos Danus subdidit armis,
Non minor at major viribus, ense, viget.
Quid Britones memorem, Pictavos, Andegavenses,
Quos sibi consocians, Neustria clara nitet?
Francigenum feritas his frustra bella minatur :
Copia verborum stat sibi, visque minor.
Angligeni regis tot terras tollere, virtus
Nulla valet, frustra Francia tela parat.
Nec Normannigenum capiet castella vel urbes,
Nec sibi rex Anglus serviet. Ecce dolor !
Pax sibi nulla manet, vi pacis fedus honestum,
Gloria Normannis sit proprioque duci.
Quod princeps tantus mandat diadema daturum
Se nostro juveni, gaudeo spesque manet.
Vis celi valet hoc jus regis et imperialis,
Nam transferre tronum diva statuta solent.
Quod grates solvit quia regia virgo nepoti
Juncta suo fulget, fit michi magnus honos,

Conubio nate michi jungitur imperialis
Gloria, bellica vis, hostibus ipse timor.
Que tria tum michi tum natis sunt splendor honoris,
330 Tum proprio regno consulibusque meis.
Velle meum pax firma meis; michi tradita jura
Defendam patria vi propriaque manu.
Principis adventus, horrendus cede futurus,
Quod mando foveat tempus ad usque suum.
335 Regum consilium preceps virtute carebit,
Consilii magni res manet ipsa diu.
Mens mea quid gestet, sileo; tamen imperiali
Cordi cordis erunt omnia nota mei.
Hostis molitur michi, natis tollere sceptrum.
340 Molior ast aliquid; quid sit id, ecce latet. »

V. *Quod dux et episcopi regem admirantes, post colloquium, cum maximis honoribus Rothomagum a rege mittuntur. Rex paulo post eosdem insecutus, eisdem consilium suum intimavit, magnoque honore exhilaratos, muneribus ditatos, inter que vasa aurea et argentea preclari operis et magni precii multa* (1), *eisdem contulit; sicque ad imperatorem, consilio suo eis nudato, letos remisit.*

His rex prolatis, mirantur dux proceresque
Sensum, verba, modum consiliumque viri,
Quantas fundat opes, quam multo milite fulget,
Nobilitas quanti culminis extet ei.
345 Hinc Rodomum veniens dux regia tecta subintrat (2),
Egregiique loci traditur aula sibi.

(1) Les mots *preclari* — *multa* sont omis dans l'édition.
(2) *Subivit*. Ed.

Regis id hospitium, patulus quod lucus adumbrat,
Flumine cum pratis, nobilis urbe, situ.
Interius radians auro varioque colore,
350 Oblectans animos visibus aula placet.
Redditur interea Rodomo presentia regis,
Dux Alamannus adest, colloquiumque serunt.
Adsunt pontifices bini, quos imperialis
Gloria transmisit, regia verba notant.
355 Quid velit his pandit, denudat consiliorum
Jura, modum, summam, nil tacet ipse tribus.
Que secreto refert, hec (1) imperialibus ipsi
Auribus infundant, cuncta notentur ei.
Dux sociique sui, ditati munere multo,
360 In patriam redeunt, regia jussa ferunt.

VI. *De papa defuncto, post quem duo apud Romam in loco ipsius a diversis partibus cum scismate eliguntur, Rollandus scilicet cancellarius et Otovianus* (2) *cardinalis, sicque per violentiam contra tocius ecclesie unitatem et pacem* (3), *contra jus canonicum, contra sancti Petri dignitatem, in cujus sede non est recipiendus nisi unus, ambo in Roma consecrantur; quodque olim simile scisma contigerit* (4), *unusque tunc illorum duorum scismaticorum a Rogero duce Apulie et Sicilie receptus, eumdem ducem in regem sacravit; quodque Rollandus, qui jam* (5) *Alexander III dicebatur, legatos suos in Galliam*

(1) *Hanc.* Ed.
(2) *Octavianus.* Ed.
(3) Les mots *contra t. e. u. et pacem* manquent dans l'édition.
(4) *Contingerit.* Ms.
(5) *Etiam.* Ed.

miserit, a regibus et episcopis receptus sit, legatos secutus in Galliam venerit. Alter qui prius Otovianus, post Victor dictus est, ab ecclesia transmarina et tota Italia receptus erat, in Alamanniam venit.

Constat ab antiquo quod Roma tumentia colla
Semper habet, Remi prodit et ipse cruor.
Bellorum nutrix peperit sibi prelia, reges
Hos proprios stravit (1) tradidit hosque fuge.
365 Binos sepe duces hujus discordia fecit,
Qui sibi qui mundo bella necesque gerant.
Tempore sic nostro, sub tantis regibus istis.
Exit ab antiquis sedibus ipse tumor.
Ipsum consequitur presens dissensio regum,
370 Hujus ceu fuerit Roma superba caput.
Nam clerum, populos, dum pacis jura tenerent,
Scismatis initium fit prior ipsa suis.
Cessit apostolicus fatis, pandensque tumorem
Pontifices binos procreat ipsa sibi.
375 Antiqui nevum retinens elata tumoris,
Nec sibi nec populis providet, immo nocet.
Olim sic orbis dominatum perdidit ipsa.
Vix sibi jam vivit, linquitur ecce sibi.
Scismate consimili turpavit climata mundi,
380 Cum prius Apulie dux diadema tulit.
A duce Rogero tunc alter papa receptus (2),
Quo sibi dux faveat, hunc prius ipse sacrat.
Sic pape gemini fabricantur tempore nostro,
Turpius in terris scisma fuisse nequit.

(1) *Statuit.* Ed.

(2) *Scilicet Petrus Leonis scismaticus, qui Rogerum comitem Sciciliae, nepotem Roberti Guischardi, sacravit in regem Sicilie, cum ipsius partem foveret.* Note marginale.

385 Victor, Rollandus, sub Petri sede locantur,
Hi duo divisi, Petrus at unus erat.
Unum vel nullum Petri tenet ipsa cathedra,
Nam tumidos binos arcta tenere nequit.
Respuit ipsa duos, unus nam sufficit orbi;
390 Respuat hos orbis, unus ut esse queat.
Binos nulla polis recipit, nisi turgida Roma,
Talis in exemplo qualis et ipsa latet.
Fratribus ex geminis quod traxit semper habebit;
Discors Roma fuit, semper et illud erit.
395 Horum quos retuli, papa migrante, secundus
Eligitur, summum respuit ille gradum.
Traditur hinc alii jus pontificalis honoris;
Suscipit hic fasces, alter ad ista dolet.
Per se perque suos repetit quod respuit ante;
400 Eligit hunc iterum pars violenta sibi:
Hoc sine cede tamen, nam pars utraque superba
Quamvis erat, metuit bella movere pari.
Romulidum sensus sic pacis federa turbat,
Proh dolor! initium scismatis inde venit.
405 Presulibus binis mutantur nomina prisca,
Ut mos Romulidum sorsque sacrata dedit.
Nomen Alexandri Rollandus possidet; alter
Victoris: gemino nomine quisque nitet.
Interea mittit legatos presul uterque,
410 Orbis regna sibi subdere quisque cupit.
Jam duo non unus disponunt culmina Petri;
Heres unus erit; si duo, Petrus abest.
Italie partes sibi vindicat Otovianus,
Ex geminis presul extitit iste prior.
415 Hunc per legatos princeps Constantinopolitanus
Suscipit, et tellus subdita tota sibi.
Rexque sacri tumuli custos, cum milite sacro,
Plebibus adjunctis, servit, obedit ei.

Cum clero, populis, favet huic princeps Alamannus
420 Dux quoque Saxonie, Dacia tota simul.
Francus et Anglus ei reges cum plebe favissent (1),
Noscere si posset (2) ordinis ante modum.
Sed per legatos proprios hos prevenit alter,
Legistrisque favent rethoricisque tubis.
425 Nam simul hi veniunt cum regibus, altus et ipse (3)
Clerus adest, populi conflua turba venit.
Hinc Papie geniti Willelmi lingua perorat
Causam, qui fluvius eloquiique nitor.
Arte vel ingenio reges circumvenit, omnes
430 Vi lingue superans in sua vota trahit,
Primus apostolicum Rollandum nominat (4) altus
Francigenum clerus, rex procerumque chorus.
Cui tanti cedunt, cedit rex Angligenarum,
Cedunt et comites pontificesque sui.
435 Suscipitur clarus Rollandus papa, secundus
Victor respuitur, sit licet ipse prior.
Scismaticique duo terrarum regna capessunt,
Quod lex, quod ratio, quod Deus ipse vetat.
Hic successores jam perspicis imperiales
440 Pompeii similes Cesaris atque feri.
Ecclesie monstrum geminum caput extulit orbi,
Hoc fugiens vitet vivere quisque cupit.
Consensu facili multis illabitur error,
Nam radice fides frivola sepe caret.
445 Defuit alloquio regum presul Rodomensis
Hugo, vir sapiens, religione potens.
Que super his Rome fuerat dissensio novit,
Quis prior electus sive sacratus erat.

(1) *Contrarium tamen effectus rei probavit; nam Alexander fuit verus papa, et alter reputatus fuit scismaticus.* Note marginale.
(2) *Possent.* Ed.
(3) *Ut ipse.* Ed.
(4) *Noverat.* Ed.

Reges causatur tanta levitate favisse
450 Romulidis, rerum dum latet ipse modus :
Ex his scismaticis, nam se deponeret alter,
Ecclesie virtus si repulisset eos;
Hinc et apostolici discordia prava sileret,
Sic proprii sceleris esset et ipsa memor.
455 Italia pulsus Rollandus transvolat Alpes;
Quo via tuta fuit, Gallica regna venit.
A clero, populis, et regibus ipse receptus,
Discernit, statuit, solvit, et ultro ligat.
Est notum multis Romanos semper avaros;
460 Manat ab antiquo criminis ipsa nota.
Nobilis ystoricus manet inde Salustius index,
Nature generis testis hic ipse sui.
Relliquias igitur Albini necne Rufini
Querere Roma venit, colligit, urget eas.
465 Legatos mittit, dispersas cogit in unum;
Ut tantas rapiat, fit sibi nulla quies.
Alter apostolicus res gestas audiit hujus,
Romam deserit hic Italicumque solum.
Alpibus emensis, petit hinc Alamannica rura,
470 Stipatus sociis rethoricisque viris.
Suscipit hunc princeps Alamannus et imperialis
Gloria, tum proceres, clerus et ipse simul.
His notum fuerat quod primitus iste sacratus,
Primus obedivit, dignior inde manet,
475 Nam post suscepit quod primum respuit alter,
Id latuit Gallos Angligenasque duces.

VII. *Epistola Victoris pape ad Alexandrum papam.*

Victor preterea Rollando mandat : « Inanes
Pontificis fastus te subiisse vides.

Post me Romani jus raptum pontificatus,
480 Non jus, immo nefas, omnibus esse liquet.
Cum sociis sceleris per vim conscendere temptas
Culmen apostolicum, stultus at iste labor.
Sponsam tu Christi perverso scismate turbas,
Dividis in binas, una sed ipsa manet.
485 Proh dolor! initium tu scismatis esse notaris,
Qui pacis fueras hactenus ipse juge.
Romani scriptor juris, custosque sigilli,
Pacis fedus eras pluribus absque dolo.
Rixe pone modum, mundus nos conspicit ambos,
490 Ecclesie parcens, parcito queso tibi.
Officium primus suscepi pontificalis
Culminis; hoc nosti, novit et orbis idem.
Usurpas igitur nomen, quod ferre nequibis,
Convenit hoc juri; solus id ipse fero.
495 Deponens ergo quod captas nomen inane,
In pacem rediens subditus esto michi.
Gratia prima tibi reddetur honorque sigilli,
Reddeturque tuus pristinus ipse gradus.
Hujus consilium pacti si forte refutas.
500 En aliud promam; quodlibet ipse tene.
Ecclesie matris, que nobis subditur, ambo
Jus subeamus, ut hinc terminus esse queat.
Causam pertractans, ex nobis ipsa duobus
Papam constituat quem velit esse sibi.
505 Terminus is (1) litis, hic finis scismatis extat.
Istud si renuis, jure fugandus eris.
Nil vigor Anglorum regis, nil Gallicus ardor,
Quos sibi substravit (2) Caesar, adesse valent.
Horum cum sociis cupiens et fedus et aurum,
510 Prevenis hoc semper, calidus arte, dolis.

(1) *Hic*. Ed.
(2) *Substrabit*. Ed.

Hos (1) in scisma tuum seductos Roma repellit,
Sic sibi sic illis omnia jura negat.
Seu michi vita datur, seu mortem fata perurgent,
Subdita non fiet maxima Roma tibi.
515 Niteris Italie dominatum tollere Romam,
Si potes id, princeps Itala rura sinet.
In Roma diadema gerit princeps Alamannus,
Hoc auferre valens, tu michi Papa manes.
In te sed rediens, errorem queso revolve,
520 Et michi subjectus desere cepta doli. »

VIII. *Epistola Alexandri pape ad Victorem papam.*

Ista legens presul Rollandus fertur in iram.
Ostentat sociis, mandat et ista simul:
« Naturalis inest animis mortalibus ardor,
Ut sibi subdatur quilibet altus honos.
525 Clarior ut sit homo, perquirit opes et honores,
His sine vilior est; novit, et illa fugit.
Sic laudes queris per mundi climata. Rome
Presul si fueris, dives, honorus eris.
Me prius elegit Romani cura senatus,
530 Distulit ad tempus mens mea ferre gradum.
Tu super hec audax fautorum jure tuorum
Eligeris, Petri scandis et ipse tronum.
In me prima manet constans electio sacra,
Et licet invitum me sibi Roma sacrat.
535 Scismate sub tali, Rome sic ambo sacrati,
Ecclesie risus nos sumus, unde dolor!
Nobile sic monstrum pestis Romana creavit,
Corpus idem geminum coepit habere caput.

(1) *Hoc*. Ed.

Princeps tu sceleris, et opes cupiens et honores,
540 Dum tibi Romanos subdere semper amas.
Elatus tanti generis pretendis honorem,
Subditur en tibi nunc imperialis honor.
Pontificis fastus tu solus subripuisti,
Per te scissa dolet sponsa sacrata Dei.
545 Rixe tu caput es, turbator pacis, et auctor
Litis, et ecclesie scandala cuncta foves.
Preteritos michi necne meis promittis honores,
Ut subdamur ei qui sibi papa manet.
Si non ecclesie subeamus jus generale.
550 Hec duo proponis, optio sicque datur.
Dum Romanus ego presul, dum cuncta guberno,
Quis michi quisve meis major honoris honos?
Orbis judicium generale subire recuso,
Nullus enim papam subdere jure potest.
555 Lex michi nulla potest imponi, dum super omnes
Solus ego, judex me minor omnis erit.
Opponis reges ut nobilitate nitentes,
Viribus atque tronis, sic et amore Dei.
Papam Romanum, propria sic sede repulsum,
560 Horum me pietas sustinet, ornat, alit.
Aurum non cupio, contentus vestibus, esu:
Exul pro patria Gallica rura colo.
Ne reges tantos involveret hic tuus error,
Hos petii, caros semper habere volo.
565 Anglos cum Gallis a scismate jure retraxi,
Sedis apostolice qui pia jura tremunt.
Italicos fines tibi subdis, sic Alamannos,
Imperii virtus (1) cedit et ipsa tibi.
Hec auferre volens jus papam constituendi,
570 Per se pontificem te sibi falso sacrat.

(1) *Nutus*. Ed.

Me sibi subjectum non sentiet imperialis
Ira, nec audacis presulis ipse tumor.
Exul ero. Quid tunc? patriam conscendere celi
Pauper si potero, dives honorus ero.
575 Nunc igitur veniam poscens me pronus honora,
Ut sceleris tanti sit sibi noxa data. »

IX. *De concilio quod post hec Victor papa tenuit, presentibus episcopis, abbatibus, [et] principibus Italie et Alamannie, presente etiam imperatore.*

Victor Alexandri dum verba tumentia legit,
Legistris sociis intimat illa suis :
« Fastu verborum Rollandus, ait, superare
580 Nititur, at rerum constat adesse diem.
Sentiat elatus quod jam tumor ipse meretur,
Amodo me papam noscat ut esse suum. »
Hunc Alamannorum Maguntia tunc retinebat,
Urbs celebris regni metropolisque sui.
585 Sub Karolo magno resplenduit ista sophie
Principibus, princeps nam fuit ille sophus.
Interea summum statuens Victor celebrare
Concilium, quis sit notificare studet.
Convocat Italie partes, Alamannica tellus
590 Confluit, insignes Saxonicique viri.
Abbates clari, simul ordo pontificalis,
Clerus adest multus, plebis et ampla phalans.
Affuit et princeps Alamannus et Italus idem
Jungitur huic omnis imperialis honor.
595 Curia personis Romana suis revirescit,
Scisma tamen quasdam sciderat inde sibi.

Astant persone trecente pontificales,
Abbatum numerus sed duplicatus erat.
Tantis personis et tot simul associatis,
600 Clarior ex illis cernitur esse locus.
Splendidus orator Romanus papa perorat
Primus, et ex trino numine sermo fuit.
Post incarnati vim solvit Coloniensis
Presul, et ingenio clarus et ore simul.
605 Hinc Rabani magni sedem qui pontificalem
Obtinet, angelicum dividit ipse chorum.
Sic alii tractant sermones ore polito
Cause post resonant Romulidumque tube.
Pluribus in causis consumptis ante diebus,
610 Ultima Rollandi causa notanda subit.
Hanc in concilio facundus papa perorat,
Attonitis cunctis Tullius alter ait.

X. *Causa quam pro scismate Victor papa in concilio tractavit.*

« Maxima causarum quam totus prospicit orbis
Hoc in concilio discutienda venit.
615 Nulla michi gravior constat nec fortior ulla,
Nam totum fidei continet ista modum.
Presens Italie princeps procerumque caterva,
Pontifices summi, clerus et altus adest.
Judicium, ratio, non fallitur ordinis hujus,
620 Quod doctrina fovet quam tenet ipsa fides.
Hic oratores resident legisque periti,
Tantum concilium nulla sophia latet.
Nominis ecclesie Christum dominum caput esse,
Sic caput est Christi summus et ipse Deus.

625 Constat et ecclesiam Christi fore corpus, ut unum
Jam duo sint, sponsus sponsaque juncta simul.
Unus ut unitam sibi copulet inviolatam,
Virgo sponsa Dei, virgoque sponsus ei.
Hec in carne manens, in terris est peregrina,
630 Donec ad eternam transeat ipsa domum;
A Christo Petrus quam primus jure recepit,
Ut doceat, servet, nutriat atque regat;
Pascat eam pastu triplici, verbo, prece, factis,
Ut trinum recolens noverit, oret, agat.
635 Clavibus ecclesie ditatur Petrus ab ipso;
Discretorque potens solvit et ipse ligat.
Discernit quis sit solvendus sive ligandus
Solvere quemque potens (1) atque ligare simul.
Clemens has recipit, Petri successor et heres,
640 Linquit apostolicis has simul ipse viris.
Tradidit has nobis jus pontificalis honoris,
Jus canonum sacrum, moris et ipse vigor.
Sim licet indignus sedem conscendere Petri,
Sum tamen in tanto culmine solus ego.
645 Nam si Rollandus a sese papa vocatur,
Intrusor tamen est, papa nec esse potest.
Istum tam tumidum caput huius scismatis esse,
Concilium presens, orbis et ipse, videt.
Culmen apostolici sprevit prius ille laboris,
650 Tantum ne fragilis (2) pectore ferret onus :
Nec tamen hunc clerus nec nobilis ille senatus
Elegit, sed amor scismatis atque dolus.
Me post electum sibi cleri consecrat ordo,
Presens tunc (3) populus necne senatus erat.

(1) Les mots *solvit et ipse — potens* ont été omis dans l'édition.
(2) *Fragili.* Ed.
(3) *Tum.* Ed.

655 Ut mos Romanus fert papam constituendi,
Ut decreta jubent, sic fuit ordo rei.
Romulidum clerus presens est ordinis hujus
Auctor, et is novit me sibi vera loqui.
Jam cetus presens id novit, noscat et orbis,
660 Scismatis ut tanti corruat ipse reus.
Sic in apostolica me papa sede locato,
Rollandi socius nam sibi quisque pavet;
Eligit hunc alias violentia scismatis ejus,
Contra jus (1) canonum suscipit ille gradum.
665 Toto sic hominum Dominique timore rejecto,
Callidus intrusor spargit ubique dolos.
Turbat jura poli, sic orbis climata turbat,
Turbida cuncta facit turbidus ipse magis.
Ex clero paucos, plures ex jure senatus
670 Hujus participes scismatis esse scio.
Dissimilis tamen hos spes impulit atque voluntas,
Romulidis semper que solet esse comes.
Imperiale jugum Romanos tempnere semper
Historias relegens noscere quisque potest.
675 Hic residet magnus, ut cernitis, imperialis
Princeps, semper erit subdita Roma sibi.
Romani proceres Alamannica jura tremiscunt,
Se Karoli proli subdere constat onus.
Insignis Stephanus Romanus presul honorem
680 Pipino dedit hunc, sic Karoloque suo.
Hos etenim binos in reges ipse sacravit.
Italiam duxit. Cur? breviare libet.
Urbes Italie rex Langobardus adurit
Hastulfus, Stephanus prestat ad arma minus.
685 Transmeat hic Alpes, Gallos petit, invenit horum
Regem desidie nexibus esse datum.

(1) *Vim.* Ed.

Concilio facto, diademate privat inertem;
Pipinum, Karolum, tollit in arce troni.
Principibus tantis Stephanus sibi consociatis,
690 Italiam rediens maxima bella parat.
Hosque secutus erat radians exercitus omnis
Francigenum, Latium turbida fama replet.
Exoritur bellum Langobardique fugantur,
In Papiam fugiens rex sua fata gemit.
695 Obsidibusque datis, acceptis urbibus, illi
Vita datur, sed post fulmine tactus obit.
Extitit hec Karoli magni vis bellica prima,
Huic quamvis fuerit vis sociata patris.
Nec minor ille fuit, cum fata patrem rapuissent,
700 Sed magis enituit gloria clara viri.
Insurgens alius rex Langobardus in armis,
Vastat et incendit; que cupit, illa rapit.
Obviat huic iterum Karolus feritate priori,
At belli rabies undique multa furit.
705 Pluribus hic cesis Langobardisque fugatis,
Rex Karolum fugiens quo prior ille venit.
Obsessus capitur, captus transmittitur Alpes,
Parisius veniens jam monachatur ibi.
Sic Desiderius post Hastulfum superatur,
710 Italiam Karolus tunc facit esse suam.
Post hec ingreditur Romam cum laude triumphi,
Inclyta Romulidum vis stupefacta tremit.
Successit Stephano, qui suscipit hunc, Adrianus;
Imperialis ei purpura mira datur.
715 In Roma Karolum diademate papa coronat,
Francigenum nulli tantus adhesit honos.
Francicus en princeps Alamannicus (1) Italicusque,
Sic tria sceptra regit, sufficit ipse tribus.

(1) *Alamannus*. Ed.

Hujus sed soboles partitur jam tria jura;
720 Hic unum retinens, cessit abesse duo.
Proles sed Karoli rex Francicus arte dolisque.
Hugonis capitur; sic perit ipse tronus.
Est hujus generis septenus Gallicus iste,
Rollandi socius scismatis atque doli.
725 Altera progenies Karoli, duo regna gubernans,
Vixit in imperii culmine, vivit adhuc.
Ex generis tanti preclaro stemmate surgit
Maximus hic princeps, flos procerumque decus;
Tollere jura patrum cui nititur Italiamque
730 Clarus Alexander, scismate bella gerens.
Se Porum superare putat, ceu gemmica vitis
Atque culumnarum sit sibi preda data.
Persarum Medosque duces Dariumque potentem,
Hos superabit, et hunc transferet ense neci.
735 At si Rollandus Karolum superare valebit,
Istud mandatum nec polus ipse feret.
Sed Karoli sensum, virtutem, continet heres
Ejus, et his binis Itala sceptra reget.
Post caput abscissum vis corporis adnichilatur,
740 Arboris est radix caesa? ruina gravis.
Si caput Italie Romam princeps Alamannus
Rollando tribuit, cetera membra sinat.
Si radice carens jam virtus imperialis
Corruet, arboreus defluet ille decor.
745 Nolit sive velit Rollandus necne senatus,
Progeniem Karoli subdita Roma feret.
Hec caput imperii nomen gerit imperiale,
Italie princeps sic caput hujus erit.
Scismatis hujus erat consors pars ipsa senatus,
750 Pellere jam cupiens imperiale jugum.
Sed legatorum Rollandi fit dolus alter;
Qui qualis fuerit, terminus ipse canit.

Hujus pauper erat sociorum perfida turba,
Hoc sibi prelato crescere sperat opes.
755 Ut (1) spes fixa manet, transgressis Alpibus, altas
Francigenum gazas Angligenumque petit.
Sic instans ovibus sociatur turba luporum,
Pastorum tamen est obvius ipse vigor.
Explorans igitur quis sit pastoribus error,
760 Que via, qui somnus, callida queque videt.
Si cautos (2), fortes, sapientes, perspicit istos,
Linquit ovile, sibi prospicit, ire cavet.
Hos errore leves, faciles ad devia duci,
Sive premi somno, si scit, ovile subit.
765 Diripit, extinguit, laceratque, famemque sitimque
Sanguine, carne, cibat; sic satiata redit.
Haut aliter Gallos Rollandi turba subintrat,
Pastores subicit primitus ipsa sibi.
Reges hosque simul per quelibet avia ducit,
770 Possidet hos somnus, devius error habet.
Que sibi firma fides, ubi sensus pervigil horum
Credere tam leviter, cum latet ordo, modus?
Reges preclaros, rectores ecclesiarum
Scismatis auctores in sua vota tenent.
775 Quodlibet hi fingunt, quevis mendacia suadent,
Rethoricis vinclis torpida corda ligant.
Me subversorem celi confundere jura
Dicunt, ecclesie scismatis esse caput.
Pro noxa reputant me principis esse propinquum,
780 Per vim, per gladios obtinuisse gradum.
Me voluisse putant Alamannis tradere Romam,
Urbs tamen est horum principis, idque sciunt.
Papa suus sanctus simplex ac nobilis exul
Me fugit, armatum persequor ipse virum.

(1) *Et.* Ed.
(2) *Cunctos.* Ed.

785 Quod prius oblatum despexit pontificatum,
Quod me Roma sacrat primitus, ecce silent.
Quod libuit, suasit tunc Willelmus Papiensis,
Legister validus causidicusque potens;
Henricus sibi Pisanus sociatur et Otho:
790 Scinditur a tribus his unica trina fides.
Gallia sic cedit, consentit et Anglicus ordo,
Pastores rapiunt in sua vota lupi.
Rejicitur Victor, Rollandus papa vocatur,
Sic fraus necne scelus arsque lupina valet.
795 Hinc caulas ovium, pastoribus undique victis,
Intrat quisque lupus, quod valet ipse rapit.
Asciscunt socios, predantur ovilia Christi;
Hinc ovibus meror, risus at inde sibi.
Aurea vasa petunt, argentea queque reponunt,
800 Serica vestis eis plus pretiosa placet.
Fercula non refero tantarum deliciarum,
Pocula diversis inficiata modis.
Felix quisque sibi cum sese proluit auro;
Vinum si superat, vir sibi quisque manet.
805 Nec memorare libet fastus varios equitandi,
Cum Rome fuit his vix geminatus equus.
Mulus adulterium nature clarior extat,
Hunc sedet huncque trahit, dum sibi sessor abest.
Hos in equis cernens rectores ecclesiarum,
810 Raptores ovium nuncupat atque lupos.
Spumat equus, Gallorum gazas Alpibus infert,
Velleribus claris totus onustus abit.
Abstulit intrusor jam Cesaris iste labores,
Roma caret Gallis Angligenisque suis.
815 Sic preclara duo Rollandus regna subegit,
Ecclesie partes sicque tyrannus habet.
Scismate corruptum dampnat sententia Petri,
Binos en gladios Christus adesse jubet.

Ecclesie gladius regalis, furta, rapinas
820 Punit, bella gerit, queque necanda necat.
Pontificis gladius anathemate percutit, urit,
Cauterio sanat, morbida feda secat.
Hic ferit, occidit, ligat; hic confortat et unguit;
Exerit hic leges, hic pietate fovet.
825 Arida membra secat, putrefacta resolvit et aufert,
Ne sanies serpens invida queque terat.
Membris corruptis jam tetrum sentit odorem
Orbis, et ex isto scismate manat odor.
Alpes transgressus, legatos jamque secutus,
830 En Rollandus adest, Francia servit ei,
Reges, pontifices, seductos jam sibi stravit,
Fert in scisma suum quos sociare valet.
Huic nostros apices dignum transmittere duxi,
Ne sibi cernatur vir bonus absque dolo.
835 Sic duo propono : vel pape se michi subdat;
Orbis judicium vel subeamus idem.
Hec duo contempnens, rescripta tumentia mittit;
Dedignatur enim flectere corda michi.
Sic errore suo jam plebes inficiavit,
840 Jam duo regna sibi subdidit. Unde dolor!
Concilium presens super hoc decernat, ut auctor
Scismatis, ecclesia pulsus, ab arce ruat.
Cum sibi subjectis anathemate percutiatur,
Jam gladii Petri prodeat ipse vigor. »

XI. *Quod post causam peroratam, Alexander, cum omnibus qui eum receperant episcopis, abbatibus, principibus, et populis, anathematizatur.*

845 Hisque peroratis attollitur Othovianus,
Dignus apostolico culmine papa manet.

Predicat hunc ordo cum principe pontificalis,
Regni tum proceres conciliumque simul.
Rollandum statuunt anathemate percutiendum,
850 Fautoresque suos conditione pari.
Exurgunt igitur cum papa maximus ordo
Pontificum, clerus nobilis ipse simul.
Tum breviter Victor: « Cum cancellarius esset
Rollandus, subiit papa secreta necis.
855 Is post eligitur, sed respuit hunc sibi Roma,
Me rapit atque sacrat pontificemque vocat.
Hinc dolor exurgit, repetit quod tempserat audax,
Fautorum studio se sacrat, immo necat.
Sic oritur pestis, sic orbem scismate turbat,
860 Dividit ecclesiam, pars sibi multa favet.
Nec michi se subicit, nec judicium generalis
Ecclesie patitur, sed tumor instat adhuc.
Hunc igitur sociosque suos anathemate dampnat
Concilium presens, orbis et ipse simul.
865 Hos etiam socios simul excommunicat omnes,
Quos huic jungit amor scismatis atque scelus. »
Concilium tantum sub verbis solvitur istis.
Concilii tanti finis et ipse fuit.

XII. *De adventu Alexandri pape in Galliam. Quodque a regibus receptus censum ab ecclesiis exegerit. Quodque Hugo, Rothomagensis archiepiscopus, hoc inauditum esse dixerit. Quodque ad curiam pape Alexandri Thomas, archiepiscopus Cantuariensis, venerit, quidve ei Alexander, pro causa que inter ipsum et Anglie regem erat, responderit.*

Presul Alexander, transactis Alpibus, esse
70 Se referens papam, Gallica regna venit.

Quos retuli sursum, legatos regibus istis
Miserat, ut sese pro pietate ferant.
Expulsus patria, licet exul, presul habetur.
Italiam virtus (1) imperialis habet.
875 Hec papam statuit, qui noscitur esse propinquus
Principis, ut per eum subdita Roma tremat.
Hunc tenet, hunc pellit princeps sed amore, sed armis;
Possidet is Romam, presul at inde fugit.
Excipitur gaudens a tantis regibus exul,
880 Horum terra sibi pervia sive suis.
Regum, pontificum, cleri, collaudat amorem,
Exilium patriam conspicit esse sibi.
Expensis igitur que secum detulit ille,
Ecclesias statuit munera ferre sibi.
885 Omnibus indicit quot libras ipse requirit,
Ut censum referant mittit ubique suos.
Francos, Normannos, Pictavos, Andegavenses,
Anglos, queque jubet ferre tributa facit.
Dedignatur in his Rodomensis maximus Hugo,
890 Dicit inauditum criminis esse genus,
Libera sponsa tulit census, pretium generale,
Raptores patitur quos decet esse patres.
Angligenum primas et presul Canturiensis (2),
Deditus exequiis jam Theobaldus erat.
895 Beccensis prior hic, post abbas extitit (3) annis
Binis, magnanimis (4), dives et esse sciens.
Is matrem regis cum natis semper amavit,
Semper obedivit, subditus hisque fuit.
Hic Stephani regis natum quo jure sacraret,
900 Cogitur, id tempnit, vix fugit inde necem.

(1) *Nutus*. Ed.
(2) *Cantuariensis*. Ed.
(3) *Extit*. Ed.
(4) *Magnanimus*. Ed.

Mathildis nato conservabat diadema,
Fata trahunt illos, hunc citus ille sacrat.
Tangitur hic morbo, vitam cum corpore claudit;
Eligit hinc Thomam regius ille vigor.
905 Cancellarius is regalis nominis alti
Pontificis sedem suscipit atque gradum.
Presul Alexandro cum rubro dirigit album,
Pallam tum recipit qua ferat ipse jugum.
Annis is fuerat paucis a rege secundus,
910 Regia dum recipit era, reservat, habet.
Terrarum census ratione rex sibi poscit
Solvere, sed summam sufficit ille minus.
Inter utrosque diu tractatis inde querelis,
Se minus is purgans equora sulcat, abit.
915 Narrat apostolico, Senonis quem clara tenebat,
Quis sit, que tulerit, que sibi causa vie.
Quelibet in regem clarum mendacia fingit,
Se cathedra pulsum, vix fugiisse necem.
Quod latet in fundo reticet, quod predia regis
920 Detraxit, rapuit, dulcia queque tulit.
Papa refert: « Frater, cernis quod sede repulsus
Exilium patior, tristia bella fero.
Nec michi sive meis valeo nunc auxiliari,
Et tibi quid possum, cum tua causa gravis?
925 Casibus ex nostris perpendere te licuisset,
Ut quantum deceat regia jussa feras.
Me princeps sequitur, me depulit Otovianus;
Exulibus qualem deferet exul opem?
Te velut ex nichilo rex transtulit hunc ad honorem;
930 Huic a te fieri debuit omnis honos.
Te placidum regi tanto si semper haberes,
Donasset levius, si qua querela foret.
At contra procerum regis quoque tempnis amorem;
Ense carens, istos te superare putas?

935 Incassum sudaret homo decreta teneri
Ecclesie, virtus regia cuncta terit.
Investituram sibi vindicat ecclesiarum,
Clerus vel monachi nil ibi juris habent.
Ecclesie causas ad se transferre laborant,
940 Ad laicos clerus cogitur ire viros.
Ecclesie vires regum violentia fregit,
Hos statuunt, quosdam pellere dulce sibi.
Ergo quid nobis nisi flendo dolendo cavendo
Nunc hoc nunc aliud dissimulare licet?
945 Unde tibi, frater, patienter ferre necesse est
Exilium, nobis quod fore cernis idem.
Nobiscum maneas, nam pacificabitur ira
Regis et ecclesie scismata tanta ruent. »

XIII. *De concilio quod Alexander Remis* (1) *tenuit, presentibus episcopis* [*et*] *abbatibus Francie et Anglie. Quodque de primatu Cantuariensis archiepiscopi et archiepiscopi Eboracensis ibi causa ventilata sit. Quodque eam Alexander terminare non valens, eos altrinsecus sedere fecerit.*

Interea mediis in partibus intonat orbis
950 Quod sibi concilium presul uterque parat.
Concilii finis modus extitit Octoviani;
Qualis (2) preterito carmine musa canit.
Quantus Alexandri (3) fuerit, nunc ipsa docebit,
Tempus idem vidit, qualis et iste fuit.
955 Orbem turbari Romano scismate tanto
Cernit Alexander, temptat adesse modum.

(1) *Turonibus*. Ed.
(2) *Qualem*. Ed.
(3) *Alexander*. Ed.

Se papam meminit, simul ecclesiastica jura
Pertractare cupit, pellere scisma novum.
Antiquos reparare status, regesque recentes
960 Condere Romanus presul ubique valet.
Partibus in cunctis quod (1) quidquam juris habebat
Mittit, pontifices quosque venire jubet.
Anglica nobilitas, undis consueta marinis,
Advolat, argenti copia multa simul.
965 Curia pontificis gaudet fulgere metallis,
Albo jure rubrum carius extat ei.
Pontificum cetus transmittit Gallica tellus,
Fastu multiplici semita queque scatet.
Nec minus abbatum multorum pompa relucet,
970 Par opibus, cleri nobilitate minor.
Concilio proceres claros rex mittit uterque;
Que statuantur ibi, noscere quisque cupit.
Munus uterque dedit. Sunt hujus mille salutes,
Illius ex gemmis aurea cappa (2) fuit.
975 Inclyta Gallorum Turonis resplenduit istis
Sideribus, papam solis ad instar habet.
Mundi nulla polis illuxit clarius unquam,
Reges si geminos ipsa vidisset ibi.
Clara ministeriis divis, hos suscipit aula;
980 Clarior hoc cetu nullus in orbe fuit.
Sedecies deni baculi stant pontificales,
Metropolitani sex simul atque duo;
Abbatum numerus centeni ter duodeni;
Sic decies septem, septies atque duo;
985 Hinc proceres clerusque simul numeroque carentes;
Principibus tantis aula repleta micat.
Primus Alexander, Romano more politus,
Incipit, eloquium fluminis instar adest;

(1) Sans doute pour *quot*.
(2) *Cupa*. Ed.

Dicta David pandens sanctos quos congregat illi
990 Summo, multiplici verba tenore regit.
Willelmus sequitur, verbis radians, Papiensis;
Attulit is causam presulis ante sui.
Post hunc Henrici Pisani sermo coruscat,
Rethoricis clarus floribus atque locis.
995 Hinc Rodomi (1) presul loquitur, post Eboracensis,
Metropolitanis extitit iste locus.
Hic siluit Thomas antistes Canturiensis,
Ut minus edoctus verba latina loqui.
Cessit apostolicus Arnulfo Lexoviensi
1000 Concilium verbis irradiare suis.
Sed fluvius torrens emergens fontis ab imo
Vix reprimi valuit vocibus atque manu.
Pro fidei norma sic actis ante diebus,
Quis foret ostendit quilibet ore potens.
1005 Hos post sermones, causarum turba subintrat :
Hic Digesta sonant, Codicis atque vigor.
Orditur causam presul post Eboracensis;
Contra quem geritur Canturiensis adest.
A puero doctus studiis legisque peritus,
1010 Concilio coram tres tenet inde dies.
Ingenio clarum se conspicit, ore politum,
Solus apostolicus jam sibi presul erit.
Primatem regni se judicat esse decere,
Ut prior electus necne sacratus ibi.
1015 Cause consimilis fuerat dissensio pridem,
Quam sibi Lanfrancus subdidit atque suis.
Tempserat huic subdi Thomas tunc Eboracensis,
Cum par divitiis par et honore foret.
Romulidum presul legatos mittit ad Anglos;
1020 Res venit in medium discutiturque modus.

(1) *Rodoni.* Ms.

Willelmi magni fuit hic presentia regis,
Anglia quem tremuit, cujus et arma tulit.
Affluit eloquio Thomas, panditque tenorem
Cause rethoricis arduus ipse modis.
1025 Gregorii dicit decretis ista teneri,
Augustinus ita suscipit acta sibi.
At Lanfrancus ad hec respondens ora resolvit,
Italici fontis profluit unda nitens:
« Constat Gregorium de presulis Eboracensis
1030 Nil scripsisse loco, culmine, sede, gradu.
Summus apostolicus fuit Augustinus in Anglos,
Insula tota sibi subdita semper erat.
Pontifices, clerus, proceres, regesque favebant,
Solus erat primas, subdita cuncta regens.
1035 Has doctor gentis nobis transmisit habenas,
Possidet has sedes ipsius, arcet, habet.
Has et ego canonum collato jure recepi,
In tanti residens presulis ecce trono.
Integra jura michi solventur pontificalis
1040 Culminis, antiquo tradita jure meis.
His qui succedent (1) michi nil minuetur honoris,
Transmittam fateor firma statuta sibi.
Fallitur hic Thomas, nil attinet Eboracensi
Quod loquitur, causam Londoniensis habet.
1045 Isto de solo pape rescripta leguntur,
De quo nulla michi questio mota fuit.
Metropolis sedes hec dudum desiit esse,
Desiit et pallam mittere Roma sibi.
Thome palla nitens est hujus causa tumoris;
1050 Par erit aut major, si sibi forte licet.
At sedis prime jus permanet inviolatum,
Nulla superponi qualibet arte valet.

(1) *Suscedent.* Ms.

Gentis apostolicus sibi sedem contulit istam,
Augustinus in hac degere semper habet. »
1055 Ex his Lanfranci constans oratio, causam
Obtinet, assensu conciliumque favet.
Hec renovare volens Rogerius Eboracensis
Turbine verborum cuncta sonare facit.
Se Dorobernensi Thome preponit ubique
1060 Verbis, ingenio, culmine, sede, loco.
Causam pertractans, hanc tantis juribus auxit,
Judicis ut pape mens stupefacta foret.
Pluribus absumptis hec pertractata diebus,
Tandem fine suo clauditur, hocque modo.
1065 Terminat hanc presul Romanus, dividit ambos;
Partibus alternis hos residere jubet.
Opponit sibimet, ne major quilibet extet,
Sedibus equales sunt in honore pares.
Dum sibi causa gravis, voluit supponere neutrum,
1070 Ne prejudicium quis pateretur ibi.
Causa diu dilata venit nunc Octoviani;
Concilii tanti finis et ipsa fuit.
Omnibus intentis in tanto pondere rerum,
Summus Alexander papa perorat ita:

XIV. *Causa* (1) *quam pro scismate, quod inter se et Victorem papam erat, coram omni concilio Alexander tractavit.*

1075 « Juris apostolici ratio perpendit, ut orbi
Provideat, causas dirimat atque regat.
Ex tantis rebus sibi maxima queque reservat,
Ut per se statuat quid velit ordo rei.
Orbis causa gravis famam porrexit ubique,
1080 Major in instanti tempore nulla fuit.
Concilium super hoc mandavit nostra potestas,
Paruit en nobis gloria tanta patrum.

(1) *Causam.* Ed.

Grates innumeras refero sapientibus orbis,
Celicus hic mecum quos sociavit amor.
1085 Gaudeo personas tot cernens pontificales,
Quorum consilio mundus et ipse viget.
Nulla scienda latent tot fontes philosophie,
Singula vera vident, lucida cuncta sibi.
Nos igitur, stellis tam claris irradiati,
1090 Limite directo cernere cuncta licet.
Vobis id notum, Romane gloria laudis
Quanta fuit, que vis ipsius urbis erat.
Romulus hanc struxit, paulatim crevit ad alta,
Climata per mundi regia signa tulit.
1095 Italiam sternens armis, servire coëgit,
Urbes contiguas subdidit ense sibi.
Hos populos terrore premens, alios sibi curvans,
Virtutis proprie longius arma dedit.
Sic armis, feritate, manu, bellisque superba
1100 Nominis invidiam sparsit ubique sui.
Hac virtute nitens, ad Cesaris usque triumphos
Clara venit, tanto clarior ipsa viro.
Clarus hic eloquio, sensu, virtute, triumphis,
Clarior in mundi climate nemo fuit.
1105 Militie probitas, decus orbis, luxque sophie,
Regum sol radians, fulguris instar habens.
Gallos substravit, Britones, ingens Alamannis
Sudor, in his quantus ipsius acta sonant.
Romulidum nemo tantos presumpserat ausus,
1110 Quod nullus valuit, belliger unus agit.
Is Romam rediens poscit de more triumphum,
Urbs negat, invidiam gloria tanta tulit.
Pompeius magnus, Scipio, totusque senatus
Prelia contempnit Cesaris atque faces.
1115 Cesar ut hec audit, sensit sibi bella parari,
Senserat id dudum, dissimulare sciens.

Italie claram Ravennam pervenit urbem,
Undique stant proceres militieque duces.
Magnas Italie post idem continet urbes.
1120 Pompeius simili prosperitate furit.
Bello conflato, vincuntur Pompeiani,
Pompeius fugiens littora tuta cupit.
Exul Alexandri magni contendit ad urbem,
Sed prius occisus tristia fata subit.
1125 Lentulus hinc consul sub carceris ima necatur,
Mergitur hinc Scipio, se necat ipse Cato.
Sic cum Petreio sese rex Juba peremit,
Ceditur Afranius Pompeiusque minor.
Cesar sic princeps effectus et urbis et orbis,
1130 Imperium solus cum probitate regit.
Nascitur imperii Romani splendor ab isto,
Romulide laudis Cesar origo fuit.
Precellens sequitur majestas imperialis,
Digni laude viri, vi, probitate, trono.
1135 Splenduit in tantis personis gloria mundi,
In nullis aliis celsior ipsa fuit.
Cum ducibus tantis Romam devinxerat error,
Donec in extremo tempore vita venit.
Que fidei lumen toto dum spargit in orbe,
1140 Paulatim subicit regia colla sibi.
Principibus victis, superatur gloria mundi,
Religio crescit, perfidus error abit.
Sic lapis abscisus, celso de virginis alvo,
In pedibus statuam percutit, illa ruit.
1145 A Constantino fidei pietatis origo
Nascitur, inde fides jam generalis adest.
Abluit hunc clarus Silvester fonte perhenni,
Huncque tumor procerum, gloria tota subit.
Sic caput evictum dum cetera membra sequuntur,
1150 Per mundi radiat climata vera fides.

Ecclesie princeps Silvester ab imperiali
Efficitur jussu, tunc sibi Roma datur.
Dantur et ecclesie Romane predia clara
Sicilie, quibus hec vivere semper habet.
1155 Imperialis vir Byzantia menia tendit,
Urbem constituit nominis ipse sui.
Purpura cum Roma Silvestro traditur, omnis
Orbis subditur huic quo patet ipsa fides.
At successores hujus, quandoque tyrannos
1160 Passi, vix retinent pontificale decus.
Italiam capit is, sic Romam diripit alter,
Armis Siciliam jam facit ille suam.
Nobilis hinc papa Stephanus, de sede repulsus,
Auxilium querens Gallica regna venit.
1165 Pipinum Karolumque sacrat, secumque reducens,
Hastulfum superans Itala sceptra capit.
Sic Romam recipit. Karolus post imperialis
Romulidum princeps jam tria regna tenet;
Italicus, Francus, Alamannicus extat in unum,
1170 Dum Karolus vivens, hec tria sceptra regit.
Hujus progenies in bina sorte relicta,
Unum, que tria sunt, jam facit esse duo.
Pars etenim prolis Alamannos Italicosque
Continet, at Francos altera jure regit.
1175 Hinc Alamannus rex sibi vindicat imperialis
Italie culmen, subdita Roma sibi est.
En sibi subjectum Romanum pontificatum
Esse refert, ac vi signifer urbis erit.
Papam constituet quem vult, aliumque repellet,
1180 Nil populus sed nec clerus ad ista valet.
Me sibi pontificem Romani cura senatus
Elegit; propria sede repellor adhuc.
Victorem statuit papam vis imperialis;
Per varias terras en miser exul agor.

1185 Successor Petri sic perdit et imperiale
Culmen, et officio nominis ecce caret.
Papa vocor, nec digna gero jam pontificali
Culmine, nec rerum pondera ferre queo.
Ecclesiam scissam video, conjungere scissa
1190 Non mea jam virtus, diva sed ipsa valet.
In duo divisus jam deficit orbis ab imo;
Unum si teneat, tum duo scissa ruent.
Concilium celebrat precellens Otovianus;
Huic Alamannis adest Italicusque nitor;
1195 Summus ibi princeps, cujus manet ille propinquus;
Imperii summi gloria tota simul.
Italiam linquens, horum dum tela pavesco,
Vix mortem fugii, Gallica rura colo.
Armis persequitur me virtus imperialis,
1200 Me gladiis temptat scindere papa suus (1).
Percutit ille tumens anathemate nos sociatos,
Quosque videt pridem tempnere scisma suum.
Nobis solvetur benedictio pro maledicto,
Qui benedictus erit, nunc anathema subit.
1205 Inque caput proprium maledictum jure relatum,
Jure vicem (2) reddit quam prior ipse dedit.
Scismaticus Victor anathemate percutiatur,
Jungimus huic etiam quos sibi scisma refert.
Excipitur princeps a nobis imperialis,
1210 Quem seduxit amor sanguinis atque dolus. »

XV. *Quod causa perorata, Victor papa cum omnibus sibi faventibus, et se recipientibus, excepto imperatore, anathematizatur, sicque a duobus apostolicis tota ecclesia excommunicatur. Quodque postea Alexandro Romam reverso, imperator cum*

(1) *Suis.* Ed.
(2) *Dum vicem.* Ed.

Victore papa et exercitu suo post eum in Italiam intravit, plures ex Romanis rebellantes interfecit. Alexander fugiens tandem in Siciliam cum suis sese receperit. Imperator Romam ingressus, ibique presente Victore papa et gloria imperii tota circumstante, diademate insignitur; rebus in pace compositis Alemanniam revertitur. Victore postea defuncto, Guido Cremonensis subrogatur; hocque obeunte, alter in loco ejus a Romanis et imperatore substituitur.

Clarus Alexander causam concludit in istis,
Laudat concilii splendidus ordo virum.
Judicat hunc papam, sit quamvis pauper et exul,
Que duo virtutis laude nitere solent.
1215 Exurgens igitur presul cum pontificali
Ordine, sic astans concionatur item :
« Scismatis auctorem tanti sententia nostra
Percutit, ecclesie qui sibi stravit oves.
Concilium presens anathematis Otovianum
1220 Judicio dampnat scismaticosque suos.
Imperii princeps a nobis excipiatur,
Quem super his nobis conciliare volo. »
Concilium tantum finem sortitur in istis ;
Pontificum cetus dissociatus abit.
1225 Dum sua quisque petit, plangit quod multa reliquit,
Romulidum pape curia semper eget.
Argentum retinet presul, conservat et aurum.
Concilii, reor, hec causa secunda fuit.
O rerum miseranda nimis perversio talis,
1230 Ecclesie capitis dum ruit ipse status!
In duo divisus Romani splendor honoris,
Orbis jam geminum perficit esse caput.
Corpore sic uno procedunt corpora bina.
En duo, non unus amodo mundus erit,

1235 Illius en caput est, quem subdidit Otovianus,
Noster Alexander sic caput hujus erit.
Dividit ecclesiam geminum jam scisma per orbem,
Illius aut hujus scismatis omnis erit.
Concilium binum celebratur; presul uterque
1240 Se mutuo dampnant, subdita cuncta simul.
Divisus sese nunc excommunicat orbis;
Hujus quisquis erit sic anathema subit.
Quidquid cuique placet tanto de scismate dicat;
Stat michi judicium, nullius esse volo.
1245 Auro multiplici Romanis conciliatis,
Cum vario Romam munere papa redit.
Audit ut hoc princeps Alamannus et Otovianus,
Italiam veniunt, bella necesque parant.
Roma fremens intrare negat, concurrit ad arma,
1250 Egrediens pars hec sternitur, illa fugit.
Trans Tiberim cives fugiunt, Rollandus et ipse
Vix mortem fugit is, cive minante necem.
Siciliam sese recipit, pietate fovetur
Regis, ibi plangens crimina degit adhuc.
1255 Menia cepit ovans exercitus imperialis,
Princeps subsequitur, Victor et ipse simul.
Principis imponit capiti Victor diadema,
Italie dominus solus et Urbis hic est.
Italia princeps remeat jam pacificatis
1260 Omnibus, et Victor presul in Urbe sedet.
Guido Cremonensis Victori fata tenenti
Succedit, validus rethor et ore potens.
Pluribus hic annis in culmine pontificali
Deguit, extremum claudit et ipse diem.
1265 Subrogat huic alium princeps presente senatu,
Qui meritis fidei lumine notus erat.
Imperia[lis apex] sic Itala sceptra retentat,
Sic cap[ut et] mundi fit ibi Roma tronus.

XVI. *Quod interim dum hec gererentur, discordia regis Anglorum cum Francorum rege nondum finita erat. Tandem inter se de pacis federe colloquium habent: differtur in procerum regni presenciam* (1). *Henricus interim, regis Anglorum filius, Parisius veniens, a rege Francorum et proceribus cum honore maximo suscipitur. Hinc ab utrisque regibus et regni principibus et presulibus juxta Pisseium ad colloquium venitur; pacis federa firma stabiliuntur. Hec pax facta est anno ab incarnatione Domini MCLXVIII, mense Februario mediante.*

Henricus juvenis rex maximus Angligenarum
1270 Cinctus adhuc multo milite semper erat.
Clauserat armatis muris castella vel urbes,
Per sua jam nullis hostibus ire licet.
Rex Ludovicus regi contendere vitat,
Nam superexcellit viribus, ense, manu.
1275 Tollere Normannis pertemptat jura paterna,
At rex cum cuneis obvius arma tenet.
Rex igitur bellum sibi cernit ubique parari,
Si Normannigenas vi penetrare velit.
Milite, divitiis, armis et viribus impar
1280 Paulatim refugit prelia, tela, necem.
Hujus avi recolit claros cum laude triumphos,
Quos ex Francigenis detulit atque patre (2).
Talia volventem timor urget, gloria pulsat,
Prevalet interius hic magis, illa minus.
1285 Collaudant proceres jam pacis jura reposci,
Militie virtus illius alta nimis.

(1) *In posterum regum provocatio.* Ed.
(2) *Pater.* Ed.

Audax natura Normannus, clarus in armis,
Prelia nulla timens, cedere sede nequit.
Pondere bellorum Francus minor, ut docet ipsa
1290 Neustria, quam Danus cum feritate tulit.
Angligeni regis terris stat Francia clausa,
Hinc timor armorum, victus at inde venit.
Principis et regis sociatur maxima virtus,
Hanc dux Saxonie jungit, amore ligat.
1295 Hec in pace simul sunt inspicienda notanda,
Nam superare ducem prelia nulla queunt.
Consilium laudat procerum ratione notata;
Rex, regina favet, quod jubet illa stabit.
Post tantas igitur predas, incendia, cedes,
1300 Carmine quas tedet stringere, fedus adest.
Conveniunt reges, de pacis jure loquuntur,
Pars utraque petit, que cupit illa placent.
Partibus his binis procerum pars parva fuisse
Dicitur, hos pacis federa cuncta latent.
1305 His sine nulla potest fieri concordia regum,
Convenient alibi, paxque perhennis erit.
Discedunt reges, alias de fine loquendum
Pacis constituunt, ponitur ipse dies.
Maximus interea regalis natus amorem
1310 Francigenis pandit, Parisiusque venit.
Rex, proceres urbis, simul ecclesiasticus ordo
Obviat, huic major gloria nulla fuit.
Normannis placuit paucis quod regia proles
Francorum petiit dissona corda sibi.
1315 Nam se fortune committere non sapientis,
Sed sua qui fatis contulit esse solet.
Regius hic natus, peperit quem regia mater,
Francigenum quondam que diadema tulit.
Federis hanc aquilam rupti cognominat ille
1320 Qui divis oculis tempora longa videt.

Francus ait : « Nobis heredes hec peperisset
Jam similes, primo consociata toro. »
Neustria letatur genito sibi sidere trino,
Fulgura (1) Francigenis sidera trina dabunt.
1325 Dirigit hos nobis rex Anglus, ut alta doloris
Vis animos penetret vel timor ipse premat.
Hec dum Francigenum quorumdam corda revolvunt,
Parisius juvenem claudit, honorat, habet.
Hunc licet obsequiis veneretur amore paterno,
1330 Se tamen in casu ponere nullus habet.
Concilii regum, clero populisque jocundus,
Advenit ecce dies, undique turba fluit.
Pisseios campos veniunt utreque phalanges,
Hinc Normannus adest, Francus at illa tenet.
1335 Natus adest regis, quem secum tempus ad istud
Rex tenuit Gallus, letus amore patris.
Federis inde modum, finem rex pandit uterque
Principibus coram presulibusque suis.
Hic Britones assunt, assunt et Pictavienses,
1340 Regibus in pacto se sociare volunt.
Est modus hic pacis : natis regalibus altis (2),
Etas cum tulerit, det sua jura pater :
Tum Normannigenas regat is sub jure paterno,
Tempore qui major primus et ipse trono
1345 Nomen avi tenet. Alter erit comes Andegavensis,
Pictavius consul, dux Aquitanus erit.
Filia regalis datur huic; Tholosa notatur,
Miles ut hic fiat, juris et ejus erit.
Decernet super hoc Francorum curia, consul
1350 Egidii veniet, Pictaviusque comes.

(1) *Fulmina*. Ed.

(2) *Scilicet Henrico filio primogenito Henrici regis Anglie et Margareta filia regis Francorum.* Note marginale.

Francigenum regi subjecti, jura paterna
Hi tres jure regant, servitiumque ferant.
Dum pater id tempsit, presens discordia venit,
Serviat en natus, pax sibi semper erit.
1355 Partibus ambabus tum regibus hec placuere;
Dulce manet cunctis pacis adesse modum.
Anglus rex igitur terrarum cedet habenas
Natis, cum tulerit tempus et ordo rei.
Pro sibi collatis terris tum quisque laboret,
1360 Subditus hinc Francis serviat ense, manu.
Interea pax firma stabit, dum tempus adultis
Adveniet, Gallus rex simul ista feret.
Diriget et natam binis ut fratribus adsit,
Bina soror vigeat quo magis arctus amor.
1365 Consertis manibus rex pacem firmat uterque,
Perpetuum fedus amodo pacis erit.
Urbes, regna, tronum, communi jure tuentur,
Hostibus alterius quisque paratus erit.
Postque fidem regum proceres tum federa jurant,
1370 Gaudet utraque phalanx. Finis et iste fuit.
Francorum proceres proprio cum rege precantur
Pro Dorobernensi presule, rexque favet.
Quod decessorum mos regi detulit Anglo
Deferat ac liber jam sua jura petat.
1375 Ecclesie proprie salvo sibi jure redibit
Presul, ait, solvet quod sibi constat honor.
Rex infert se nolle novos inducere mores,
Id solum faciat quod sibi jure decet.
Lanfranci cathedram sedet Anselmique beati,
1380 Is proavi presul, sic fuit alter avi.
Hos placuisse Deo virtutum culmine constat,
Regis quisque sui debita jura tulit.
Iste Deo solvat soli quod numinis extat,
Solvat et ex terris regia jura sibi.

1385 Vota Deo reddat, regi que Caesaris extant;
Quod sancti faciunt, solvere quemque licet.
Reddere jura sibi si dedignatur avita,
Exul ab Angligenis jure perhennis erit.
Hoc jus, hec ratio sibi constat, presulis autem
1390 Quenam sit, procerum judicet ipse chorus.
Jurat Francigenum rex sanctos Bethleemitas
Quod Dorobernensis nil rationis habet.
Pontificum sedis proprie vestigia servet,
Ac in sede sua pacificatus eat.
1395 Quod rex Anglorum (1) repetit, conservat et ipse,
Pontifices Galli regia jura tremunt.
Thomas conticuit, meditatur regia dicta,
Nescio quid voluit, retro redire timet.
Talem sortitur regum discordia finem:
1400 Predo latet, miles lugeat, arma jacent (2).

EXPLICIT

NORMANNICUS DRACO

(1) *Angligenum.* Ed.
(2) *Sed non diu jacuerunt.* Note marginale.

STEPHANI

ROTHOMAGENSIS

OPUSCULA

PRÆFATIONES

INCIPIT PROEMIUM STEPHANI

IN LIBRUM SENTENTIARUM SUPER ISAIAM.

Omnis divinarum scripturarum scientia in veteris novique instrumenti auctoritate continetur. Testamenti veteris series dividitur in legem, prophetas, agyographos, id est sancta scribentes, sunt enim hi qui in ordine prophetarum non habentur ut Job, David, Salomon et cæteri. Novi testamenti summa distribuitur in evangelium, apostolos, doctores, id est divinarum scripturarum juxta veræ fidei regulam tractatores, ut fuerunt Augustinus, Ambrosius, Gregorius et alii. Ut autem in prima divisione primum lex ponitur, sic in secunda evangelium, inde prophetæ, hinc apostoli, ibi agyographi, hic doctores. Digne enim singula coæquantur singulis trinusque ordo in singulis divisionibus habetur ubi mysterium et fides beatæ trinitatis pura continetur. In his duobus testamentis xpictianæ religionis norma et fundamentum consistit, ex his xpictiani populi animus imbuitur,

ex his fides sincera solidatur, spes firma erigitur, caritas vera perficitur. Hæc sunt duo illa magna luminaria, quæ Deus ut æcclesiam ubique diffusam illustrarent constituit. . . .

. . . . . .

. . . . . .

Habeant cæteri divitias suas, nostræ divitiæ sint die noctuque divinarum scripturarum secreta rimari. Quis autem omnia penetrare, omnia intelligere, omnia percipere valeat?..... Quis tanto abundet ocio ut saltem divinis scripturis legendis diem noctemque continuare possit? Verum, si nec omnia habere, nec omnia legere sufficimus, ramos tamen sententiarum divini eloquii de arboribus doctorum scilicet voluminibus juxta capacitatem ingenii nostri sumamus, eosque Ihesu nostro venienti in anima nostra, quæ visione pacis jam ex parte perfruitur licet in parte caliget, substernamus. Qui enim omnia memoria concludere nequimus pauca saltem eligamus, precipua decerpamus eaque in animo recondamus. Hinc est quod mihi, dum sacris mentem placet exercere loquelis, quosdam scripturarum libuit decerpere flores eosque pluribus libellis comprehendere. Novissime Haimonis super Isaiam expositionem intentius relegens incidit in mentem ut ea quæ in hoc propheta difficiliora viderentur cum expositione ipsa in unum concluderem et quasi sertum ex variis flosculis componerem, quod et studio non parvo perfeci et si qua adjecerim qui integram exposicionem legerit nosse leviter valebit.

Explicit proemium Stephani Rothomagensis.

INCIPIT PROEMIUM STEPHANI ROTHOMAGENSIS
IN QUINTILIANUM DE INSTITUTIONE ORATORIA.

Quintilianus iste civis Romanus extitit nobilissimus, disciplina orator, dignitate senator. Hic duodecim Institutionis oratoriæ libros edidit. Horum mentionem beatus Jeronimus in principio explanationis Abdiæ prophetæ facit, sed et in epistola ad magnum oratorem urbis Romæ hujus quoque meminit horum librorum memoriam faciens. Ad Eustochium vero scribens dicit se post acumina Quintiliani discipulum factum Chaldaicum. Hujus etiam beatus Hisidorus in libro Ethimologiarum meminit dicens artem rethoricam a grecis Gorgia et Hermagora fuisse inventam, a latinis vero Tullio et Quintiliano translatam. Unde animadvertendum quantæ apud suos gloriæ fuerit qui nostris non ignotus sed famosus et laudabilis extiterit. Hoc pariter notandum quod æcclesiæ doctores gentilium libros non incognitos habebant, unde, ut beatus ait Gregorius, ingenii vigilantiam trahebant. Probat hoc et beatus Augustinus, qui de disciplinis liberalibus libros singulos edidit, quorum de musica libri VI et de dialectica liber et cathegoriæ, ab ipso ad filium Adeodatum translatæ, ad nostram tantum noticiam pervenerunt. Beatus etiam Ambrosius cujusdam philosophi epistolam in quadam sua epistola integram ponit. Origenes vero philosophorum libros adolescentibus summopere ediscendos præcipiebat dicens eorum ingenia in divinis scripturis capaciora et tenaciora fore cum horum subtilitates et ingeniorum acumina animo percepissent. Quod Julianus Augustus, magnus equidem philosophus sed errore major considerans, postquam a fide discessit edicto publicato prohibuit ne xpictianorum filii artem oratoriam addiscerent, perspiciens quod quanto in eloquentiæ studiis edocti forent tanto in xpictiana fide et religione vel in revincendis gentilium quos

sequebatur erroribus acutiores et disertiores existerent; simul dicens hostes adversariorum armis non armandos. Karoli etiam magni magister Alcuinus de hac arte dialogum sub proprio et Karoli nomine conscripsit. Quibus omnibus videre licet quanti apud antiquos hæc maxime ars habita sit quæ tempore instanti vix ullum sibi studiosum detinet.

Quis autem eloquentiæ fontem sine eloquentiæ studiis adipisci queat? Quisquis vero eloquens extitit unde nisi per artem rethoricam hoc consequi valuit. Quis enim sine præceptis rethoricis eloquenter quamlibet controversiam tractare potuit? Sed dicet quis : Quid eloquentiæ precepta attollis cum plurimos sine eloquentiæ præceptis eloquentes videamus? Cui respondendum quod animis imperitorum non eloquentiæ præcepta rimantibus eloquentes videantur; turbide enim omnia proferunt, huc illucque vagantur quicquid se mos ingesserit protinus eiciunt sine disciplina, sine modo, sine dicendi qualibet consideratione; in inventionibus imperiti in dispositionibus ignari, in elocutionibus inconsiderati, in memoria turbidi, in pronunciatione inflati. Qui dum omnia quæ mente revolvunt ubique dicendum estimant cuncta perturbant, nec sensu nec pronunciatione discreti, itaque diserti ab ineruditis vocantur. Dum omnia quæ dicunt præcipitant, cuncta sine ordine proferunt, estimantes eloquentiam esse quicquid in labiis inciderit continuo in audientium auribus sine discretione profundere. Eloquentium autem est judicium adhibere inventis, discernere quid primo, quid medio, quid ultimo dicendum sit loco, qui sint audientium amini, utrum religioni an seculo dediti, sapientes an hebetes, doctrinam diligentes an spernentes. Considerant etiam quid qualibus depromendum sit verbis, nec solum sensum sed et verborum qualitatem ponderant scientes orationis tria esse genera : unum grave, quod constat ex verborum gravium magna et ornata constructione, aliud mediocre, quod constat ex humili, neque

tamen ex pervulgatissima verborum dignitate, tercium attenuatum, quod demissum est usque ad usitatissimam puri consuetudinem sermonis. Igitur dum in gravi orationis genere debeat maxime versari oratio, indocti in attenuato semper jacent verbisque rusticorum incomptis semper utuntur, ingeniosorumque auribus oneri magis sunt quam edificationi, digni quorum sermones ab eorum cœtu propellerentur; eloquentium enim vocabulum sibi usurpant cum eloquentiæ præcepta non solum non legerint, sed nec quidem viderint, sicque nec indoctos edificant et doctis derisui sunt.

De memoria vero horum qui per precepta rethorica incedunt quid eloquar, cum noverint eam a Marco Tullio thesaurum inventorum dictam, duasque esse, unam rerum, alteram verborum, qui quotiens aliquid proferendum est sic jugi exercitatione cuncta proferunt, velut ante oculos omnia descripta conspiciant. At alii, quorum mentem præcepta non formant, cum aliquid proferre nituntur, quæ in memoria recondisse se autumant, caput excutiunt, oculos terræ infigunt, scapulas in utrumque latus deflectunt, cum singulis pene verbis expuunt, tussi et raucedine laborare se simulantes, quandoque etiam diu reticentes, expectantes ea quæ in thesauro suo reposuerunt, ut se quasi ex improviso offerant, cum juxta hunc eundem Quintilianum nichil turpius sit quam turbari memoria et facultate continuandi verba destitui.

Pronunciationis vero modus qualis quamque diligens in eloquentibus sit Alcuinus, cujus supra mentionem fecimus, in libro quem de Rethorica conscripsit meminit observandum, præcipiens ut vicia si qua sunt oris diligenti cura emendentur, ne verba sint inflata vel hæc elata, vel in faucibus frendentia, nec oris inanitate resonantia, non aspera frendentibus dentibus, non hiantibus labris prolata, sed pressim, et æquabiliter, et lenter et clare pronuntiata ut

unumquodque verbum legitimo accentu decoretur et suis quæque litteræ sonis enuncientur, plano ore, vultu quieto, sine saltu, sine mora, ne verba quasi cum violentia erumpant, neque stillent, sed profluant ut aquæ Siloe quæ vadunt cum silentio. Cum autem in eloquentibus hanc pronunciandi peritiam considerem, quid de imperitorum pronunciatione proferam, qui sic huic pronunciandi regulæ contrarii sunt ut, sicut beatus Augustinus in quarto libro de Doctrina xpictiana ait, eos audire tedeat, intelligere non pateat, credere postremo non libeat. Illi qui artis præcepta sequuntur, noverunt auditorem, vel attentum, vel benivolum, vel docilem proemio facere, isti autem non noverunt. Illi breviter, aperte, verisimiliter aliquid narrant, isti e contrario omnia proferunt nec brevi, nec aperta, nec verisimili ratione aliquid narrare scientes. Illi acutis argumentis oppugnare falsitatem, veritatem defendere sciunt, isti nec vera defendere, nec falsa norunt refutare. Illi animos audientium moventes impellentesque dicendo terrent, contristant, exhilarant, exhortantur ardenter, isti lenti frigidique dicendo dormitant.

Cum ergo posita sit in medio facultas eloquii quæ ad persuadenda seu prava seu recta valet plurimum, cur non bonorum studio comparatur ut militet veritati, si eam mali ad obtinendas perversas vanasque causas in usus iniquitatis et erroris usurpant? Cum vero per artem rethoricam et vera suadeantur et falsa, quis audeat dicere adversus mendacium in defensoribus suis inermem debere consistere veritatem. Quis ita desipiat ut hoc sapiat? Debet igitur divinarum scripturarum tractator et doctor defensor recte fidei et debellator erroris et bona docere et mala dedocere atque in hoc ope sermonis conciliare aversos, remissos erigere. Quæ quidem omnes fere homines in his quæ loquendo agunt facere non quiescunt, sed cum hoc imperiti faciant obtunse, deformiter, frigide, eruditi hoc agunt acute, ornate, vehementer. Sic

enim eloquentes dicunt ut doceant, ut delectent, ut flectant: doceant quæ ignoramus exponendo, delectent suaviter loquendo, flectant ad agenda quæ monent auditores commovendo. Sed hæc hactenus.

Horum autem XII^cim librorum, quorum superius memini, X^cem tantum mihi innotuerunt, de quibus hoc modo hunc seqûentem librum defloravi. Perlectis enim libris animadverti utilem aliquem et compendiosum librum inde posse extrahi, si tantum ea excerperentur, quæ utiliora viderentur. Multa equidem ibi prolixe dicuntur quæ compendio aliquo terminari possunt. Subiens igitur hunc laborem libros arripui, de singulis capitulis flores excerpsi, quædam etiam capitula integra transcripsi, quædam vero ubi oportunum visum est in duo divisi, nichil omnino de meo adjeci. Studui etiam sic excerpere, ut omnia quæ inde deflorarem, ita sibi conecterentur quasi unum corpus fuissent et ab ejus ore tali ordine processissent. Capitulorum autem seriem ordinate præmisi, quod ipse minime fecit, ut in ipso statim exordio lector intueatur de quibus liber contexitur.

Verum nunc quo tempore fuerit hic orator videamus. In proemio IIII^ti libri meminit Domitianum imperatorem nepotum suorum curam ei delegasse, quo luce clarius constat eum ejus tempore fuisse, cujus nepotes cum filio suo erudiebat. Scripsit etiam librum de causis, qui a plurimis habetur. Cujus autem acuminis et ingenii fuerit verborum ejus subtilitate melius intueri potest quam alicujus laude. Quod qui eum intente legere voluerit facile animadvertere poterit, si vero judicium meum quæritur testor me nusquam tam subtilem eloquentiæ doctrinam considerasse. Sic enim omnia quæ in eloquentia incidere possunt scrutatur et explicat ut intelligentibus animis quicquid in sermone subtilitatis esse valeat cum summa diligentia quasi oculis depingat.

Explicit.

INCIPIUNT CAPITULA SEQUENTIS OPERIS

1. Utilius ne domi an in scolis pueri erudiantur?
2. Quod utilius in scolis erudiantur pueri quam domi.
3. Qua ratione in variis ingenia dinoscantur et quomodo tractanda sint.
4. De gramatica.
5. De officio gramatici.
6. An oratori profutura sit plurium artium scientia?
7. De musica.
8. De geometria.
9. De pronunciationis et gestus institutione.
10. An plura eodem tempore doceri possint?
11. Quando rethori tradendus sit puer.
12. De moribus et officiis præceptoris.
13. An protinus preceptore optimo sit utendum?
14. De primis apud rethorem exercitationibus.
15. De lectione oratorum et hystoriarum apud rethorem.
16. Qui libri primi legendi apud rethorem.
17. De divisione et partitione.
18. De ediscendo.
19. An secundum sui quisque ingenii docendus sit naturam?
20. De officio discipulorum.
21. De utilitate et ratione declamandi.
22. An artis necessaria cognitio?
23. Quare ineruditi ingeniosiores vulgo videantur.
24. Quis modus in arte.
25. Divisio totius operis.
26. Quid sit rethorica et quis ejus finis.
27. An utilis sit rethorica?
28. An sit ars rethorica?
29. Ex quibus constet rethorica?
30. Natura an doctrina plus eloquentiæ conferat?

31. An virtus sit rethorica ?
32 Quæ materia sit rethoricæ artis.
33. De inventoribus rethoricæ artis.
34. Quid sit initium rethoricæ artis.
35. Quæ partes rethoricæ artis.
36. Quæ et quot genera causarum.
37. Quibus contineatur omnis oratio.
38. Quid sit status causarum.
39. Unde ducatur status.
40. Quot et qui sint status.
41. De laude et vituperatione.
42. De suasoria et dissuasoria.
43. De partibus causarum judicialium.
44. De generibus causarum.
45. Quid sid quæstio, ratio, judicatio et continens.
46. De exordio.
47. De narratione.
48. De digressione.
49. De propositione rethorica.
50. De partitione.
51. De probationibus inartificialibus.
52. De prejudiciis.
53. De rumore.
54. De tormentis.
55. De tabulis.
56. De jusjurando.
57. De testibus.
58. Duo genera testium.
59. De teste voluntario.
60. De teste jussu judicis.
61. De teste cognito.
62. De teste invito.
63. De teste incognito.
64. De probatione artificiali.

65. De signis.
66. De argumentis.
67. De exemplis.
68. De usu argumentorum.
69. De refutatione.
70. Quibus constet epycherema, et quibus refellatur.
71. De amplificatione.
72. De generibus sententiarum.
73. De tropis.
74. Quid differant figuræ a tropis.
75. De figuris sententiarum.
76. De figuris verborum.
77. De imitatione.
78. Quomodo dictandum sit.
79. De laude scriptorum tam grecorum quam latinorum.
80. De speciebus orationis.

Expliciunt capitula libri
Quintiliani institutionum oratoriarum.

INCIPIUNT CAPITULA DIALECTICÆ MARTIANI

YSAGOGE. De genere.
De specie.
De differentia.
De accidenti.
De proprio.
De diffinitione.
De toto.
De partibus ejus.
De divisione.
De partitione.

CATEGORIÆ. Quid sit æquivocum.
Quid sit univocum.
Quid sit plurivocum.
De propriis verbis.
De alienis verbis.
Quot modis aliena verba fiunt.
Quid sit subjectum.
Quid in subjecto.
Quid de subjecto.
De prima substantia.
De secunda substantia.
De qualitate.
De quantitate.
De relativis.
De facere et pati.
De situm esse.
De quando et ubi et habitu.
De oppositis.
PERYERMENIAS. Quid sit nomen.
Quid verbum.
De predicativis syllogismis.
De conditionalibus.
De commento Remigii super hæc omnia.
RETHORICA. Rethorica Martiani cum commento Remigii.

Expliciunt capitula.

CAUSA INSIGNIS AD ALIAS CAUSAS TRACTANDAS UTILISSIMA

Sepenumero, selecti judices, coram vobis sanctoque hoc senatu verba facere proposui, sepe etenim immo semper vestram in rem publicam concors, nec unquam nisi nova reique publicæ substantialis tum attentio, tum administratio me ad loquendum armavit. Sed ad immensam vestræ majestatis reverendæ sullimitatem meæque tenuissimam parvitatis paupertatem, immo ut verius loquar nullius nominis nulliusque intellectus quantitatem suspiciens despiciensque animum revocarem, cadebant ora in pudorem, lingua in taciturnitatem, audacia in timorem, conscientia in propriam veritatem, totum denique propositum in annullationem. At cum diu silentium tenuissem non passa est res publica nostra cujus maximum periculum ad Deos immortales et ad omnes bonos pertinens presens futurumque videbam. Non passa est, inquam, sed ad lacrimandum me compulit et si vellem coram tantis tantæque auctoritatis viris, licet humilem sermonis vocem habere, benivolos mihi et attentos vos fore promisit utpote quorum animos fortes in asperis, haut insolentes in prosperis, providos in ambiguis. Quid plura? Fideles unanimiter in omnibus experta est. Hac igitur securitate compulsus vestram desiderans audientiam quid sit in quo rei publicæ compatiar paucis si placet aperiam; vos mihi aures atque animos accomodate.

Erat in hac urbe formæ venustate admirabilis sed suo fortunæque arbitrio post obitum parentum relicta jam fere nubilis quædam virguncula. In hanc multi amoris et conjugii spes improbas affectantibus, desideriis jam foventes partim blanditiarum illecebris, partim munerum fulgore ac copia, partim promissionum fallaciis, partim minarum asperitatibus, annis simplicibus machinabantur insidias. Nec id mirum, ipsam namque virginitas futuram delectabilem ac

placidam promittebat, etas vero meliorem, mater quidem probabilem, mores amabilem, opera Minervam, scientia Palladem, pulcritudo Helenam, vita Lucretiam. Quid plura? Cuncta fere futuræ immortalitatis argumenta ostendebant, omnia sua ad hoc argumentari videbantur.

Hanc vero Tereus, Gracci Neronis filius, minus in sui partem voti collocans, pre aliis tamen longe longeque se illam ardere simulabat; diem ergo nocti continuans reclamanti semper recentior insistebat, vultumque animo dissimilem ferens imaginem rei simulatæ nescienti prætendebat. Quid non improbitas queat? Si improbitatem assiduitati miscueris insperata ad effectum perduxeris, improbo enim labori cuncta se victa subiciunt. Hunc igitur indeficienter assistentem linguæ quoque officio ineffabiliter operantem illa considerans, seque defunctis parentibus sine consilio et amicis desolatam rebusque necessariis nudam penitus conspiciens, graves quoque fortunæ casus sine regimine navigantibus imminentes pertimescens, coram multis ac sapientibus viris lacrimans lacrimabiliter, lacrimari etiam cæteros faciens, pedibus illius humiliter dejecta, se illi sive in ancillam sive in uxorem vellet commendavit. At ille voti compos expositam sibi coram presentibus in uxorem suscepit.

Quid postea? O immensum atque intolerabile nequitiæ genus! Quam legaliter et, ut dictum est, sub nomine conjugii acceperat, quibuslibet acceptis muneribus prostituit, sic tamen callide ut hoc illam diu lateret. Quorum enim jam pecuniam numeraverat illa dormiente sumpta maritali copula pro se interponebat. At cum illa, proh pudor! a nocentibus ignocens, ab immundis munda, sepius et sepius lassaretur, cœpit Deo volente tum tactu, tum immoderata accessione facinus animadvertere, et nisi hujus criminis rea putaretur, detestabile mariti propositum morte propria effugeret. Reputavit igitur melius ad vos confugere remque inauditam vestro judicio terminare. Quod cum Tereus, homo scilicet teter et

reus, intelligeret, ne in vestram, o judices, presentiam res ista veniret, uxori suæ maritus linguam amputavit. Hæc sunt ergo, viri invictissimi, quæ vobis manifestanda diu in animo habui. Quod autem Tereus prefatam virginem in uxorem susceperit, quod eam turpiter aliis venditaverit, quod ei linguam ob predictam causam amputaverit, inexpugnabilibus, si placet, rationibus convincam.

Unde igitur primum incipiam, aut quid potissimum dicam? Miror me in copia inopem. Quid enim aut qui potest denegari ad predictas Tereum accessisse nuptias, cum in tanta astantium undique corona ipse idem voce fateretur viva? Quis item has negabit præcessisse nuptias, cum talem hujus mulieris egregiæ semper fuisse animum non paucis quislibet noverit argumentis quod ipsa nunquam ullius intravisset in amplexus, nisi legitime desponsata. Preterea tam inconstantem Terei animum cuncta ipsius loquuntur opera ut nec aliquam in partem thori tribus continuis susciperet noctibus, nisi alicujus indissolubili conjunctionis nodo devinctus teneretur. Stulta est igitur adversarii defensio si negatione impossibili reales perseveraverit obumbrare nuptias. O quam male dotata mulier, cui vel conjugis nomen a conjuge non conceditur! O quam debilis nuptiarum copula, quæ nec initium habuisse asseritur! Ante vero quod aliis, ut diximus, uxorem suam venditaverit abnegabit, nec id quidem tenere poterit. Quid est enim quod in tantum tamque subito excreverit divitiarum cumulum, cum in primo, ut aiunt, nuptiarum die nec quid suis largiretur convivis, nec unde se vel illam ornamentis indueret nuptialibus, vel penes se repertum foret, vel ab alio extorquere potuisset. Quid est, inquam, quod de die in diem se extendit magis et magis male adquisita pecunia? An dicet a parentibus vel cognatis hanc sibi aliqua agnationis linea obvenisse? At hoc quidem inauditum non fuisset, vel si multa heredibus privatim relinqui concedamus, non fuerunt tamen, ut vobis omnibus

manifestum est, tantæ facultatis ejus antecessores, ut tam splendidum, tam numerosum relinquere potuissent heredem, vel si suas omnes in hunc solum certarent adunare ac perdere divitias; non potest igitur adversarius ad hereditatem confugere. Si autem quæ possidet se emisse certaverit opinioni omnium contrarius erit cum nec vel minimam harum possessionum particulam ex antehabitis emere potuisset opibus, a quo enim emerentur non video. Non est enim qui pro parvo tantis emungi pateretur copiis, minoribus enim majora non majoribus minora parari hoc tempore solent. Nulla est igitur hæc adversarii defensio.

An vero dicet has sibi datas fuisse copias? At nec illius unquam apud aliquem meriti extitit, quin potius ab eo puniri quam hujuscemodi remunerationem accipere dignus esset. Vel si alicujus unquam, quod minimum probabilitatis habet, aliqua de causa gratiam suscepisse dicatur, tantis tamen divitiarum affluentiis, licet maxima virtutum merita forent aut vix aut nunquam donari hoc tempore solent. Cassa est igitur adversarii defensio si datas fuisse contenderit divitias. At si invenisse se dixerit, spectatum admissi risum teneatis amici. Palam est enim non ita sparsas jacere divitias, nec ita habentium cura minime reservari, ut possint tantæ vel tociens inveniri. At si in inveniendis feliciorem se aliis dixerit, nec hæc quidem sine risu refelletur defensio; scimus enim quod nec quondam feliciter invenerit, nec tam paucos aggerasset gazarum cumulos, si in ista natus felicitate fuisset. Quod si furto vel rapina se factum divitem asseruerit, nec vos hoc laudare parati estis, nec ego etiam ita has crevisse opes concederem. Quid igitur vobis videtur, o judices? Nonne apertissimum esse constat Tereum uxoris suæ venditorem extitisse? O immanis tormentisque omnibus digna nequitia, eodem in facto sui ipsius et uxoris inimicum ac proditorem existere, adulterii quoque venditorem prolisque incestæ, si fors daret, molito-

rem permanere luce unum simplicemque apparere, nocte vero prothea multiformem induere. O infelix ac beata mulier, cui pœna silentii ab injusto et injuste est illata, cujus summa castitas die isto tam incestis absolvetur a noctibus! O quam male adquisita opum pondera, quæ non solum sunt proprium relictura possessorem, immo summum sunt relicto illatura supplicium! At an linguæ amputatorem noster alter Tereus se esse denegabit, nec id quidem negare poterit. Cum enim se ab illa deprehensum intelligeret, animumque illius ab innata immotum castitate expertus esset, vestrumque immobile judicium, judices justissimi, penæ formidine pertimesceret, maluit prioris Terei et re et nomine heredem se fore, quam deceptæ uxoris justissimas accusationes expectare; maluit, inquam, bis peccare quam peccati unius pœnam suscipere. At si vestræ rigorem novi justiciæ pro subdupla duplam hodie accepturus est pœnam; nequit enim ab imposito se defendere maleficio. Quis est enim qui credat ipsam sibi manum injecisse? Nemo cui credi oporteat. Amplius, cum hujus infortunatæ mulieris mores candidi non solum nichil commiserint verum etiam gratiam cujuslibet invenerint, quis alium quam istum nefarium hominem hoc fecisse contendat? Nemo cui credi oporteat. Preterea cum illa illum signis ac nutibus hujus maleficii auctorem esse vobis insinuet, quis poterit his rationibus non credere? Nemo cui credi oporteat.

Cum igitur inexpugnabilium luce rationum claruerit prefatam Tereo nupsisse virginem, cumque nec hereditate, nec emptione, nec aliquibus apud aliquem meritis, nec aliqua propria inventione, nisi ea, qua dictum est, turpi scilicet participatione uxoris, has appareat adversarium nostrum aggregasse divitias, cumque ostensum sit, o judices, nec ipsam sibi manum injecisse, nec alium a Tereo de ignocenti pœnam sumpsisse, miror vestri expectationem judicii. Quid enim amplius dubitatis? Quid impedit, patres sanctissimi,

quin statim novi repertorem criminis, maritorum omnium dedecus, honestatis persecutorem, perniciosissimum hymenei hostem, infamiæ vestræ civitatis principem digna ut dignum est torqueatis pœna? Nonne apud omnes vel barbaras nationes hujusmodi factum intolerabile reputaretur? Nonne si hoc impunitum dimiseritis initium malorum omnium ac destructionis rei publicæ presto esse videtis? O hominem non hominem! Cujus unum atque idem facinus infamiam patriæ generat, domi tirannidem exercet, adulterium in uxore committit, propriam vilifictionem non sentit, leges pervertit, deos atque homines tum indignari tum admirari facit. O felices priorum nuptiæ, quas non talis expectabat exitus! O felix Lucretia, o felix Penelope! O felices quælibet nuptiæ, quas non nostra genuerunt secula! Tui nunc hymenee misereor, cujus deitatis majestatem non solum diminui vestræ patiuntur tempestatis homines, verum etiam nullam penitus asserunt. Pluribus ad vindictam vestram cohortarer, o judices, justitiam, si verbosum veridico apud vos prævalere dubitarem.

Finit oratio invectiva in Tereum, Gracci Neronis filium, pro amputatione linguæ uxoris, quam si quis intento animo legere voluerit, et divisiones totius orationis, et earum ordinatas absolutiones et principii et conclusionis modum considerare voluerit, quam utilis sit facile, perspiciet.

OPUSCULA POETICA

I

Emicat hic magni laus, gloria, mors Galeranni.

Flos comitum, decus imperii, vis maxima belli,
Militiæ splendor, sensus acutus obit.
Jura necis violenta fremunt dulcedine pomi,
Si dulcedo fuit, pestis amara lues.
5 Nam neque rex, nec opes, neque vis, neque gloria mundi,
Hanc superare queunt; sed sibi cuncta favent.
A sapiente nequit stultum discernere, cunctos
Dum sibi substernit, commonet esse pares.
Legis tam diræ vim quis depellere possit,
10 Summa patris proles cum favet ipsa neci?
Ut nasci natura dedit, sic culpa parentis
Primi dat soboli non nisi jure mori.
Mors igitur generale chaos desevit in omnes,
Parcere dum nescit, fortia quæque rapit.
15 Parvos sic minimis, humiles conferre superbis
Audet, et in proprium jus sibi nata trahit.

Hanc subit, immo terit probitatis laus Galerannus,
Vincit ut invictus fortia jura necis.
Nam virtute polum conscendit et infima linquit,
20 Cujus vita manet vita beata Deus.
Hic de stirpe satus comitum regumque propinquus,
Quos sensu superat, moribus, ense, throno;
Hosque sequi probitate parum sibi computat esse,
Vult superare duces, nescit habere parem.

Qualis fuit.

25 Hic Paris in facie, statura Nestor, Ulixes
Consilio, belli viribus Hector erat;
Cresus divitiis, in causis Quintilianus,
Eloquio Cicero, versibus ipse Maro.
Sic ortu, lingua, sensu, virtute, triumphis,
30 Forma, rebus erat splendidus absque pari.

Que conjunx.

Huic conjunx speciosa satis, par nobilitate,
Moribus, ingenio, sanguine, corde, fide.
Hec comitem comitissa parit comiti sociata,
In nati speciem parturit ipsa patris.
35 Hic animus idem, censu, studiis, feritate,
Sensibus, eloquio, munere, mente, manu.
In cunctis similis si solum par foret etas,
Quam natura dabit, si sibi fata sinant.

Qui nati.

Sunt alii nati magni probitate futuri,
40 Si tamen in patriis moribus ire juvat.

Ex his degenerat nullus virtute nec actu,
Quisque sibi nomen comparat inde novum.
Par species, par nobilitas, par fervor in illis,
Par opus et studium, par pietatis amor.
45 Sic pater in natis ut vivens fulget imago,
Si prolem videas, conspicis ipse patrem.
In natis partitus adest, manet unus in illis,
Deserit his totum se probitate virum.
Quam fragilis mundi sit amor, sit gloria fallax,
50 Is radio mentis dum videt, inde cavet.

Consideratio.

Inspexit quid honos, quid opes, quid gloria mundi,
Quid sit homo, quid erit, quid sibi morte manet.

Quid honos.

Ut funus vanescit honos, ut spuma liquescit,
Transit deficiens, ac velut umbra fugit.

Quid opes.

55 Morte cadens quid opum secum deferre valebit?
Egreditur nudus, dic ubi cecus abit?

Quid gloria.

Doxa tibi mundi quid erit sine numine cæli?
Pompa nitens oculis vana fit ante Deum.

Quid sit homo.

Vile lutum conceptus homo, natus caro, terra.

Quid erit.

60 Vita functus, erit vermibus esca, cinis.

Quid sibi manet.

Morte manet sibi pro vitiis usura gehennæ,
Pro virtute salus, gloria, vita, quies.
His igitur senis vigilanti corde notatis,
Terrea contempnit, celica sola petit.
65 Linquit opes, calcatur honos, nec gloria mundi
Jam sapit, immo cadit, nec cadit, immo perit.
Sese cernit humum, vermem, cineremque futurum;
Horret supplicium, certat habere polum.
Distribuit, linquit, contempnit cuncta, subitque
70 Cite jugum Xpicti corpore, corde pio.
Consul, nunc monachus, dives, nunc pauper inanis,
Quam sit honor mundi cernere quisque valet.

Fallacia deliciarum.

Dic ubi delitiæ, regalia fercula mensæ,
Nectarei potus, præcipuique cibi,
75 Vas auro gemmisque nitens, trabeatus in ostro
Discolor ornatus, multus (1) ubique cliens
Aureus in faleris equs ardens splendor in armis,
In bellis resonans militis alta manus.
Aere suspensæ turres fastigia muri,
80 Celatus thalamus, menia, tecta, domus.
Condensus nemorum saltus, cantusque volucrum,
Vulpis flexibilis, dente timendus aper.
Cornibus horrendus cervus, capreæque veloces,
Damula diffugiens, cecus in ante lepus.

(1) Ms. *Multusque.*

85 His canis infestus concursu, dente, latratu,
Cujus et attractus naribus arcet odor.
Hinc avium jactus sustollitur, ardua scandit
Accipiter, jaculi dum cadit instar habet.
Fluminis anfractus sileo, tractusque marinos,
90 Floribus et pratis fontibus instat amor.
Quid vitis gemmas, quid flores (1), quid botriones?
Fructibus innumeris stat species et odor.
Prætereo carnis (2) dominetur quanta voluptas,
Quæ magis ardescit, quo (3) minus ipsa patet.

Vanitas.

95 Cætera quid referam presentis gaudia vitæ,
Quæ genus humanum suscipit, ardet, amat?
His caro lascivit, letatur, servit, obœdit
Talibus et finem credit inesse boni.
Accidit hoc, quia ceca Dei cognoscere lumen
100 Nescit, et in tenebris stat sibi mortis iter.
Pulvere terreno visus fedatus ad alta
Vix aciem tollit, pressus ad ima ruit.

Contemptus.

Hæc contemplatus Galerannus spernit amena,
Delitias, et opes, dulcia quæque soli.
105 Nomine, veste, loco, victu, sermonibus, actu,
Jura subit monachi, sicque beatus obit.
Conservat cineres Pratellum, celica mentem,
Uniet hæc Xpictus (4) consociata sibi.

(1) Martène. *Vites.*
(2) Martène. *Carius.*
(3) Martène. *Qui.*
(4) Martène. *vivet h. Xpisto.*

Nec mirum reputetur ei, qui cætera finxit,
110 Spiritui limum si reparare queat.

Descriptio.

Est igitur locus hic qui tanti continet ossa,
Fratribus ornatus, relligione potens.
Vallis amena satis, nemorosis frondibus ampla,
Ut fessos relevet, sufficit ipsa sibi.
115 Nobile cenobium tenet, ambit, servat, adornat,
Obsequiis dignis inclita membra viri.
Fontibus irriguis (1), florentibus undique pratis,
Ex re nomen habet, quod locus ipse fovet.
Hoc hujus proavi fundarunt, busta retentat
120 Testanturque locum sumptibus esse suum.

Conclusio.

His comitum speciale decus junctus Galerannus,
Ceu stellæ radius, clarus in orbe micat.
Immortalis enim fama, virtute, triumphis
Vivit, non moritur, nec perit, immo manet.
125 Obvius occurret Xpicto jam glorificatus,
Ut sibi sit requies, gloria, vita, Deus.

(1) Ms. *Irruguis.*

II

G audet amor verus carum dum novit amicum,
I nnatum multis si cor non gestat iniquum ;
S ensus enim noster veros discernit amicos.
L ex naturalis compellit amare propinquos :
5 E st vigor interior mentem qui fallere nescit,
B isso splendidior, dum lux sibi vera patescit,
E x vi naturæ te sic compellor amare,
R ebus secure poteris quod et ipse notare,
T e licet ignotum vultu, circumfero totum ;
10 O mne bonum cupio teneas, talis tibi fio.
S igna quidem mentis sunt talia verba loquentis,
T estanturque meum tibi cor ceu vasa lieum :
E xponunt mentem ceu flosculus efflat odorem,
P romunt ardorem de pectoris igne calentem.
15 H os tibi transmitto versus in pignus amoris,
A st velut est moris, alios te mittere scito,
N otus cum michi sis, volo discere carmine quis sis :
V elle meum mulcebit carmen, quod mihi dulce,
S uscipito munuscula quod dat avus tuus unus.
20 S int tibi dulcia nec tibi vilia conspiciantur,
A spicis intima, quæ tibi proxima jam sociantur.
L ittera pingit, quod tibi stringit carmen amantis,
V is ea mentis, quam tibi sentis, dona tonantis.
T e pietas simul et bonitas eterna coronet :
25 E xterius regat (1), interius cælestia donet (2) :
M etam nunc pono, cognato me tibi dono.

(1) Martène. *Rigat.*
(2) Martène. *Donat.*

III

Quis fuit aut quantus præcelsus Quintilianus
Prologus hic tantus canit artis cacumine plenus

Imperii mundi quo tempore Domitianus
Sceptra tulit magnus effulsit Quintilianus,
Artis rethoricæ qui fons, modus, ordo, colores
Instruit ingenii, ut celsa posteriores.
5 Tullius eloquii Romani lux specialis,
Orator summus, nam nullus acumine talis,
Quædam præteriit vires dum detegit artis,
Quæ quia parva forent contempsit tradere cartis.
In studiis clarus veniens post Quintilianus
10 Hæc non ignarus complevit jam veteranus;
Pluribus adjectis quæ gignunt mentis acumen
In partes sectis quo clarum cernere lumen
Quis queat et, levius capitellis corde retentis,
Inveniat citius quæ claudat carcere mentis.
15 Hujus cognitio quid conferat utilitatis
Paucis expedio normam retinens brevitatis.
A puero qualis sit rethor, quam specialis
Inventor rerum gnarus discernere verum
Edocet, ut tenebris procedat et arte latebris,
20 Pectoris impletis requiescat in ede quietis.
Nam disponendi ratio, modus inveniendi,
Eloquii clari nitor ac leviter memorari,
Vis depromendi, cautissima forma loquendi,
Hæc oratorem formant tribuuntque decorem.
25 Quæ tribus assequitur rebus qui scire laborat
Si non ignorat, sed tota mente potitur
Præceptis arctis quæ Tullius unda profunda,
Ac vitiis munda conscripsit signifer artis.
Si quem preclari studii studiis imitatur
30 Et se conatur talem dicendo notari,

Si curæ jugis fert in dicendo laborem,
Rethoris ad morem præponens seria nugis,
Conspicis hæc tria, quæ tibi sunt via qua teneatur,
Quicquid in omnibus undique partibus his videatur;
Tota scientia, tota peritia clauditur istis,
Quæ tua mens capit et quod homo sapit constat in istis.
Hæc liber hic docet ac tibi quid nocet ista videre
Nil reor officit, ast tibi proficit hæc retinere,
Nam fit acutior atque tenatior ingenii vis,
Dedita talibus ebria fontibus, ebria rivis.
Felix ebrietas potandi nescia metas,
Dulcis sobrietas mentes dans usque quietas,
Viva vigens vena, quam potas mente serena,
Vitans terrena studiis, quæ sunt aliena,
Præclara vita vivens virtute potita,
Ac vi quæsita viciorum fece sopita.
Tunc oratoris studiis edoctus et oris,
Sicut vis floris dulcedine fragat odoris,
Sic tua fama foris titulos diffundat honoris.

Quanti sit studii tales componere versus,
Qui legis ingenii tempta sub culmine mersus.

IV

Metrum dactilicum dimetrum quod vocatur adonicum.
Prologus in carmine sequenti.

Noscere querens
Quis fuit auctor
Carminis hujus,
Quisve sit ille
Qui celebratur
Laudibus istis,
Sedulus audi
Que tibi caro
Pandere curo.
Possidet auctor

Nominis artem
Officiumque
Martyris almi,
Qui celebravit
Primus in orbe
Sanguine fuso
Prœlia Xpicti.
Hunc volo noscas
Sub Benedicti
Patris amanda
Vivere norma,
In speciali
Virginis almæ
Degere cella,
Inter eorum
Fortia castra
Relligionis,
Dogmata quorum
Climata cæli
Scandere norunt.
Quem tamen istud
Carmen honoret
Vocibus istis
Inspice si vis.
Hic fuit ille
Andegavensis
Consul in armis
Maximus, alto
Sanguine cretus,
Regia proles
Extitit ejus,
Qui sibi regnum
Constituisse
Noscitur illic
Est ubi passus
Conditor orbis.
Hujus et uxor
Extitit illa
Filia regis
Quo super Anglos
Non fuit ullus
Altior alter,
Que, decorata
Pignore trino,
Gaudet ademto
Conjuge natos
Cernere patris
Regna subisse.
Noscere nomen
Si cupis hujus
Taliter ipse
Discere quibis,
Clauditur istud
Octo figuris,
Adde sed unam
Partibus istis
In tribus actis,
Has volo ternas
Consociari,
Ac simul istas
Jam sociando
Ordine facto
Conspice nomen
Sic sociatum.

GAUFRIDUS.

Explicit prologus.

V

Quis, quantus, qualis consul fuit Andegavensis
Edidit hic talis descriptor Rothomagensis.

Militiæ decus et patriæ dux en subit astra,
Æcclesie pacisque piæ fortissima castra,
Qui patrium ferus (1) imperium non extenuavit,
Sed ducibus vel consulibus prior amplificavit;
5 Qui Paridis seu Tindaridis faciem renovabat
Hectoreum cunctis in eum corpus rutilabat;
Qui clipeatus vel galeatus Mars fuit alter,
Palladis hastam sanguine pastam gessit et alter.
Pectus Achillis protulit illis et feritatem
10 Qui cupierunt aut statuerunt asperitatem
Pectoris ejus seu patriæ jus prevaricari,
His animosum seque perosum scivit amari.
Hunc sapientia necne scientia lætificabant,
Terrea (2) gloria, celsa palacia condecorabant;
15 Non fuit altior aut sapientior ullus in istis,
Quos tegit ætheris (3) aula vel aeris hæc plaga tristis
Novit amabilis et venerabilis esse benignis,
Impenetrabilis, inviolabilis atque malignis,
Sceptriger insignis consul fuit Andegavensis,
20 Quem titulis dignis celebret plebs Pictaviensis.
Nec minus hunc referat (4) Normannia terra celebris,
Bellis jam dederat subjectam quam sibi crebris :

(1) Bouquet. *Serus.*
(2) Bouquet. *Terrena.*
(3) Bouquet. omis. *Ætheris.*
(4) Bouquet. *Efferat.*

Hujus fama soli pertransit culmina queque,
Scandit et alta poli, super æthera prosilit eque (1) !
25 Terret et hæc reges, populos premit ipsa feroces,
Angit et atroces, cupientes frangere leges
Quas hic sancivit, quas tempnens qui violavit,
Pœnis multavit, quas devitare nequivit.
Justiciæ cultor, sincerus pacis amator,
30 Juris sectator, legum firmissimus ultor,
Sola salus patriæ, speculum lux atque sophiæ,
Artibus imbutus septenis, sensus acutus,
Precluis (2) orator, logicæ nec segnis amator,
Rethoricos flores edoctus sive colores,
35 Cautus et a puero falsum discernere vero,
Multimoda specie perfusus phylosophiæ.
In prosa Cicero, versu Maro cederet illi,
In logica Socrates, armis equandus Achilli :
Huic quicquid sciri potuit, credo, patuere ;
40 Gloria, divitiæ, sapientia tanta fuere,
Quanta nec exponi possit, sed nec meditari.
Munde, sed immunde, cunctos tibi qui sociari
Quæris, et in ventrem transfundere perditionis,
Quam fallax, fidei nullæ, vel relligionis
45 Sis, hic agnovit, cum tu super alta tulisti
Equoris, ac mortis potum ridens tribuisti.
Parcæ, non parcæ, quia nulli parcere scistis,
Cedere cur superis hunc tam cito sic voluistis ?
Ast tamen huic cimbam Stigii deferte Caronis,
50 Qua Flegeton fluvius tranetur perditionis.
Nec saltem videat quæ sit domus atra Plutonis ;
Elisiis campis quin transeat, ut regionis
Incola florigeræ, vitæ sociusque perhennis
Gaudeat, arescat donec Langia perhennis,

(1) Bouquet. *Prosiliitque.*
(2) Bouquet. *Præscius.*

55 Donec sol lunæ, vel solis luna laborem
Arripiat, donec perdant utrique colorem,
Donec sol radiis, Phebes umbra vacuetur,
Ac æther stellis celisque solum relevetur,
Sydera vel recubent in aquis, piscesque natabunt
60 Æthere, seu volucres ipse super astra meabunt.

Pestis amara nimis viventibus insidiosa,
Mors metuenda malis pestis amara nimis,
Ultima sors superis lex irrevocabilis evi,
Jus patrium cunctis ultima sors superis.
65 Nec genus aut species sexus te movit et ætas,
Aurum non movit, nec genus aut species,
Subditur omne tibi quod vescitur aeris aura,
Quicquid in orbe sapit subditur omne tibi.
Cogitur omnis homo descendere per tua jura,
70 Flectere colla tibi cogitur omnis homo,
Nomen in orbe tuum precellit nomina cuncta,
Nam genus omne tremit nomen in orbe tuum.
Huic aliud simile michi non monstraret Homerus,
Non fuit in terris huic aliud simile,
75 Hoc domat et populos, reges prosternit atroces,
Obruit insanos, hoc domat et populos.
Legibus atra tuis mors obstat nulla potestas,
Aurum non obstat legibus atra tuis,
Per tua regna cadit quicquid natura creavit,
80 Auras qui carpit per tua regna cadit.
Quis precor ille fuit, te qui contempnere quivit,
Te qui non sensit quis precor ille fuit.
Summus et ipse Deus voluit tua jura subire,
Factus homo moritur summus et ipse Deus.
85 Quem tibi non subicis talem quæ flectere quisti,
Xpictumque flectis quem tibi non subicis.

Ut tibi cedit inops sic cedit servus et auri,
Dives sic cedit ut tibi cedit inops,
Cedit et insipiens, cedit dialecticus arte,
Cedit rethoricus, cedit et insipiens,
Cedit et omne tibi quod sese vivere sentit,
Quod sub sole jacet, cedit et omne tibi.
Cessit et iste tibi, quem carmen personat istud,
Laus cujus fremit hic cessit et iste tibi.

Virginis in thalamo Phebus jam clauserat horas,
Bis decies denas, ter sexaginta, ter octo,
Bis quadragenas, semel octo, sed et duodenas.
Sirius ac totidem, bis septem bisque duabus,
Bis quinis, bix sex, bis quattuor inde remotis;
Imbrifer a Marte mensis septenus in arcem
Cælestis sedis mentem cum consulis hujus
Sustulit, ipsius septena luce suborta.

VI

Ingenii signum studii labor hic revitescit
Scriptorem dignum laudis cunctisque patescit.

Quem pietas movet ac bonitas tegit et comitatur,
Sobrietas fovet et deitas regit ac veneratur.
Abbatum flori, cunctorum splendidiori,
Bernardo patri, cujus mens nil habet atri,
Luci cunctorum, quos orbis fert monachorum,
Ex habitu morum noto super astra polorum,

Conjunctum cælis quem servat vis Michaelis,
Ut citius tutum sustollat carne solutum,
Vallem vitanti, virtutum monte manenti,
10 Terrea calcanti, cælestia sola petenti,
Officio fungens ac nominis arce locatus,
Illius eximii prothomartyris ac monachatus
Egregii patris Benedicti gesta sequentum,
Ecclesiæ matris natorum summa colentum,
15 Servulus æternæ lucrari præmia vite,
Qua stat vera quies, dilectio, pax sine lite,
In qua cernetur Deus omnibus omnia factus,
Quam nanciscetur proprios qui continet actus,
Qualia suscipiet qui Xpicti victima fiet,
20 Qui carnem mactat, qui nec sua culmina jactat,
Qui bona quæ gessit non vento tradere gliscit,
Sed mala quîs cessit deflendo repellere discit,
Ne luat in baratri tormentis interioris,
Callem qui rectum gemini percurrit amoris,
25 Qui præcepta Dei conservat mente benigna,
Qui dotem fidei non polluit arte maligna,
Justiciæ flos, ecclesiæ decus omnibus apte,
Læticiæ pacisque piæ dulcedine capte,
Erga te quantum cor nostrum gestet amorem,
30 Littera credo docet solitum superando laborem.
Eia, Calliope, pueros quæ versificari
Cogis, cujus ope citharam scio jam modulari,
Sit tibi decretum carmen componere lætum,
Versiculos paucos, sermones exere raucos,
35 Nunc tibi dulce putes huic dignos ferre salutes,
Cujus virtutes describere nolo refutes,
Jam narra mores quos dum petit anteriores
Protinus oblitus cupit altum tangere litus,
Istius vitam sinceram scribere tempta,
40 Experto scitam laudisque cupidine dempta.

Hoc æquidem faciam, nam cogit maxima fama,
Tale precum sursum premittendo thimiama.
Rerum formator Deus, omnipotensque creator
Cunctorumque dator, clemens hominum miserator,
45 Qui sine principio, sine tempore, totus ubique,
Qui solus cælo, terræ das esse marique,
Cujus formavit mundum præcelsa potestas,
Cujus majestas hominis lapsum reparavit,
Cui decet ut summo famulatur machina rerum,
50 Cui celum, tellus, baratrum lumenque dierum,
Quem veneratur ovans homo valle reductus ab ima,
Quem proprios renovans actus sequitur per opima,
A quo cunctorum procedit origo bonorum,
A quo justiciæ decus omnis luxque sophye,
55 Da valeam fari quam sit cunctis venerandus,
Sit vel laudandus, quem tantis vis decorari
Virtutum titulis, dum carnis mole gravatur,
Cumque caro vivens hac luctus valle moratur,
Cuncta movens et cuncta fovens pietate superna,
60 Cuncta tegens et cuncta regens me Xpicte guberna,
Auxilium donando pium michi, sisque lucerna,
Qua videam per quem valeam discurrere callem,
Ne gradiens non inspiciens incurrere vallem,
Hanc siquidem merear vitiose multa loquendi,
65 Quam vitare docens des fari digna videndi.
Quid prius incipiam, quo carmine promere quibo?
Quantus sis fiam ne tacens retroque redibo,
Optime cunctorum quos terra tulit monachorum,
Laus decus abbatum, cunctarum vir probitatum.
70 Nonne tuos mores virtutum culmina fabor,
Stat michi nonne labor, quos fers aperire sapores,
Non hos quos Ypocras docuit vel quos Galienus,
Sed quos expressit de se dulcedine plenus,
Omnis virtutis qui carnis tegmine tectus,

75 Per quam dejectus Zabulus dedit arma salutis,
Hæc jam sufficiant nunc cætera pervia fiant
Fari nunc fas sit, promisso jam labor assit,
Principium, finis michi sis mediumque loquendi,
Namque fit acclinis calamus studio recinendi
80 Quantus, vel qualis, quam magnus, quam specialis
Inter cunctorum niteas cœtus monachorum.
Ergo Xpicte fave nunc hoc opus aggredienti
Da michi pallenti fari cunctis fore suave,
Qui facis infantum linguas in verba meare,
85 Qui Balaam pecudi tribuisti verba sonare.

Unus et omnipotens Deus est qui cuncta creavit,
Qui genus humanum pietate sua reparavit,
Mittendo natum prædictum carmine vatum,
Mortem passurum mundo vitamque daturum.
90 Qui subiens hominem patris jussisque peractis,
Legibus inferni fractis cunctisque subactis
Hostibus ac sacro cunctos mundante lavacro,
Primus cunctorum turba cernente suorum,
Alta poli penetrat deitatis vi nece victa,
95 Semina spargendi, dandi peccata relicta
His quos nutrierat, quos summa luce replerat,
Commissa cura mundoque fidem paritura.
Climata quîs mundi peragrantibus arva colendo,
Sentibus ac tribulis mundando, sacra serendo,
100 Hunc ubi verterunt ad Xpictum jam subierunt
Extremam sortem summam repetendo choortem;
Ortus et occasus quos dat septemquetrionis,
Axis meridiesque fovet vi relligionis.
Colla jugo Xpisti Deus horum cum didicisti
105 Subdita teque sequi doctorem juris et æqui,
Qui lapsos ad te revocas pietate paterna,
Fecibus ut scelerum mundes et labe veterna,

Quos decrevisti redimendos sanguine Xpisti.
Ne te linquendo lapides et ligna colendo
110 Ritibus infandis fidei dotem macularent,
Luminis æterni radios qui cuncta piarent
Execrandarum fugienda sacra statuarum,
Spargere cœpisti promens insignia Xpisti,
Qui mundi fulgore suo penetrando latebras
115 Ejus verterunt in vera luce tenebras.
In quorum numero radias ex lumine vero
Xpisti castris rutilans velut ignis in astris.
O venerande pater, decus orbis, lux sapientum,
Xpisti duxque gregis, divinæ dogmata legis
120 Pectore gestantis, cælestia jura notantis,
Te virtus omnis circundat, munit, honestat;
Ut pratum flores, virtutes mens tua gestat,
Ut diversorum fert tellus germina florum,
Mens tua virtutis sic semina plena salutis,
125 Præcellis cunctos summæ deitatis amore,
Diligis et fratrem parili servando tenore,
Diffusus mentem fidei fervore calentem,
In non spernendis inimicis aut odiendis,
Extra cuncta Deum cunctos te sicut amicos
130 Diligis in Xpistum quem propter amas inimicos,
Nulli vis fieri quod non tibi adhiberi;
Tu cælo dignus scis cunctis esse benignus,
Terra fovet nullum similem tibi sobrietate,
Ethere nec tegitur te præcellens pietate,
135 Mens tua fert humilis animus, vultusque senilis,
Quantum terrenis sit mens tua subdita curis,
Quantum mundanis eadem sit fixa figuris,
Quantum sis castus satagasve sternere fastus,
Quantum sectator pacis, linguæ moderator,
140 Quantum dum vigilat caro celica mens meditatur,
Quantum pinguescat mens corpus dum tenuatur,

Quantum dulce Dei thimiama ferus faciei,
Quantum cunctorum niteas in luce bonorum,
Quantum fragrantem fundas virtutis odorem,
145 Quantum cum vitiis superes certando laborem.
Sed quid ego morum, virtutum vel meritorum,
Quîs per cunctorum cœtus rutilas monachorum,
Culmina pertento describere carmine lento,
Non si verba darent artus linguisque mearent,
150 Ut quot sunt artus, tot linguas ipse foverem,
Credo sufficerem quantum tibi parcus et arctus
Existas fari, quam latus seu spaciosus
Mentem sectari Xpistum quantum studiosus,
Tulnelius seu Virgilius, Socrates vel Homerus,
155 Plato, Crato, celsusque Cato, Varroque severus.
Hæc tua culmina per sua carmina promere quirent,
Hic sapientia necne scientia credo subirent,
Hic Ciceronis lingua, Maronis metra silerent,
Varro lateret, Plato taceret teque stuperent.
160 Absit ut isti quos latuisti gratia Xpisti,
Hoc sapiant, hoc percipiant, qui talia fiant,
Terrea corpora, carnea pectora tamque decora
Pneumatis ut sacri septeno munere digna
Existant faciente Dei pietate benigna.
165 Musa furens linguam retinens jam figito metam,
Pes tibi nam titubat cito perfice penna dietam,
Tuque tuum sustolle novum, pater alme, poetam,
Carmina qui cecinit meritorum laude tuorum,
In titulis morum carmina qui cecinit,
170 Hosque tuos mores qui scripsit ut alter homo res,
Quîs fragras totus redolet ceu thuribulo thus,
Qui super æthera te canit alta nobilitate,
Qua tua culmina scit qui visibus hæc simulascit.
Gaudeat ac letetur mundus in ordine de te,
175 Quem Xpisti pietatis amor dat ab arte secreta,

Ut tua vita piis exemplar sit bonitatis,
Ac doctrina pie vivendi sit sceleratis,
Te juvenes, te turba senescentum venerentur,
Te documentorum flumen, qui ferre merentur.
Sed jam portum nobis ortum dulce tenendum,
Vela legenda, carina regenda solumque petendum.
Jam tua majestas valeat valeatque potestas,
O venerande pater, monachis fidissima mater,
Femina letetur quæ tanti mater habetur,
Conventus Xpisti Beccensis qui genuisti
Tantillum florem tantum qui spargit odorem.
Laudibus innumeris tolli super ethra mereris,
Nam velut ortorum fert tellus germina florum,
Sic cœtus fratrum profers insignia patrum,
Per quorum castra mundus subit ætheris astra,
Qui rutilant mundo ceu sidera lumine mundo,
Orbis lætetur qui talem ferre meretur.
Sed sciat hoc vere quod te nequit hic retinere,
Exilium pateris patria quandoque frueris,
Istic pugnatur sursumque corona paratur,
Hic movet immundus Zabulus bellum, caro, mundus.
Hæc quia contempnis superando jure perhennis
Fis socius vitæ, vigeas ut in hac sine lite
Gratia quam Xpisti tibi conferat ut meruisti,
Ut lumen cujus paulatim conspicis hujus
Vultum divinum possis cognoscere trinum,
Angelicos cœtus cernens sine fine quietus,
Mundi rectorem solum vitæque datorem
Laudibus intentis venerans in lumine mentis,
Quod Pater ac Flamen quod Filius annuat. Amen.

VII

Metrum dactilicum tetrametrum constans ex spondeo dactilo catalecto item dactilo spondeo.

Romæ jam posito verba Maronis
Dulcia gustanti mella sophiæ
Fomine jam tali concipienti
Ille suus vatis dicta sophyste
5 Pectoris in pharetra condere verus
Quo queat agnosci Virgilianus.
Miraris forsan me tibi nondum
Metro vel prosa scripta dedisse,
En fateor musam pertimuisse
10 Tanto tantilli ferre labores,
Verum jam lapso retro timore,
Læta tuum vultum cernere tendit
Ante pedes cujus discere gliscit,
Secum gestando carminis odas
15 Scemate multiplici condecoratas.
Si cupis auctorem noscere quis sit,
Aut quis quem tantis laudibus effert,
Auribus haurito quæ tibi pando.
Hos circunseptos tegmine sacro
20 Noveris ex patrum fonte meare,
Quem Xpicti clarus continet ortus,
Cujus discurrens fama per orbem
Astraque transcendens culmina cæli
Concutit ac penetrat, scandit et implet.
25 Hujus si nomen noscere gliscis
Claudere bis ternas cerne figuras :
B precedit in his E sibi juncta,
C sequitur qua fit syllaba prima ;

Altera C subit has U sibi subdens,
30 Quas S concludit subdita cunctis.
At si vis horum nomina nosse,
Quos tibi præmisi taliter audi.
Auctor, ut ipse canit, nominis arcem
Possidet illius, fungitur officio,
35 Qui Xpicti primus bella peregit,
Perfusus proprii fonte cruoris.
Inspice quod STEPHANUS dicitur iste
Levitæque gradum cernito ferre ;
Hunc hujus noscas esse nepotem,
40 Hos cui dignatur mittere versus,
In quibus agnosces hunc vocitari
BERNARDUM, monachis his dominari
Quos regit in pelago vis Michaelis,
Ipse quibus tribuit scandere cælis.
45 Id volo non dubites hoc fore primum
Carmen quod scriptor protulit iste,
Istud eo studio conspiciendum,
Hunc tibi do, constat quo fore scriptum,
Quod tu tantillo carmina mittis,
50 Grates multiplices hinc tibi reddo.
Ut potum sitiens sic tua scripta
Suscepi, fateor sed velut ille,
Qui postquam biberit plus sitit inde,
Sic mea suscepit mens tua dicta,
55 Ergo pelle moras scripta remitte,
Difflue mellito gutture versus,
Ingenium laxa verba ligando
In numeris, jaciens tela sophystæ,
Thesauros aperi pectoris alti,
60 Sustenta famem pauperis hujus.
Mittere jam nosti munera magna,
Stat tibi mittendi magna facultas,

Ac nos pulsando permaneamus
Ut saltem micas excipiamus
65 Sub tanti mensa quod rogitamus.
O me felicem, si recreari
His merear dapibus vel satiari,
Angor sed nimium quod rogitare
Te non sufficio, sed reor inde
70 Jam citius michimet compatieris,
Quod cernis veluti balbutientem ;
Ast nunc in versus, quos michi nuper
Dignum duxisti mittere, vultum
Converto cupiens hinc memorari.
75 Quanta tuo rutilet corde sophya,
Verborum gravitas materiæque
Sensu multimodo condecoratur.
Dactilico metro quo jacet omne
Isti discurrunt alta petentes,
80 Ut decuit, pedibus consociatis
Nulla quidem superest dictio, sed nec
Ulla potest juste consociari ;
Coguntur proprio currere campo,
Nec permittuntur tempnere metam
85 Bisseno numero propter honorem
Illorum Xpictus quos sibi junxit,
Huic mundo fidei semina spargens
Arctantur, post hos additur unus
Ut designetur, quod Deus unus
90 Est, qui cuncta creat, cuncta gubernat ;
Ethica continet hos multa monendo,
Audent hoc solum rogitare,
Fac animæ mortem fugias valeasque choortem
Cæli jure pari felicem tu comitari.
95 Hos bene si recolis composuisti,
Alta sonant, isti magna loquuntur,

Non Maro jam tuus, aut magnus Homerus
His ullos similes composuerunt.
Absit ut isti noscere quirent
100 Quod sit imago nunc deitatis
Mentibus humanis consociata,
Hinc meminit mens, intelligit ac vult
Sic Patri, Nato Spirituique
In tribus his similis noscitur esse.
105 Istæ sunt animæ tres speciales,
Virtutes istæ mens vocitantur,
Nam deitatis in his constat imago.
Polluit hanc anima cum jacet ipsa
Crimine letali saucia, sicque
110 Tunc moritur perdens aufugiendo
Vitam, nam velut est corporis hujus
Vita manens anima, sic Deus ipse
Est animæ vita, sicut et istud
Corpus tunc moritur, cum vacuatur
115 Hac anima, nec per se removetur,
Sic jacet hæc nec se quit relevare,
Cum Deus ejusdem vita recedit.
Hæc est mors animæ prima, secunda
Dum corpus proprium servat in ignis
120 Æterni pœnas, nec datur illi
Linquat ut hunc cum quo crimina gessit;
Primam qui vitat dico sequentem
Non metuat quia non experietur.
Harum quam doceas non bene novi
125 Primo, sed intento corde relectis,
Versibus agnovi credo secundam
Te michi scripsisse jam fugiendam.
Grates innumeras hinc tibi solvo,
Quod tua majestas carmina præstat,
130 Quod tua mens de me sollicitatur,

Quod me dignaris tanta docere,
Si tamen ipse doces, nam Deus in te,
Ut video, degens, hæc tua scripta
Fabricat atque suo lumine complet.
Hanc animæ mortem quam fugiendam
Per te dignatur spiritus almus
Demonstrare michi, semper in ævum
Ut vitemus det, nosque cohorti
Sanctorum jungat, qui meruerunt
Illius dono culmina cæli,
Hunc ubi conspiciunt interiori,
Quem visu nequeunt exteriori;
Hæc sunt æternæ gaudia vitæ,
Hic cibus, hic potus civibus illis,
Hæc vestis, requies, doxa perhennis,
Quo nos hac fœda carne solutos,
Perduci jubeat trinus et unus,
Ut mereamur eum semper habere,
Qui nos ex luto fingere novit,
Quique suo proprio sanguine tersit
A culpa veteri, nosque suorum
Servorum numero jam sociavit.
Illius imperio qui famulantur
Has inter tantas æquoris undas,
Hac licet inviti carne retenti,
Hunc decet ut tantum semper amemus,
Qui cæli nobis gaudia præstet,
Mecum subjungas, annuat : Amen.
Sed nunc ad portum perveniamus,
Anchora jactetur, vela ligentur,
Navita tutior est littore nacto,
Tedia nam vereor ne patiatur
Mens tua, dum relegis carmina nostra.
Vale, jam memoris memor esto.

VIII

Metrum constans primo versu heroïco,
secundo alcmanio dactilo tetrametro acathalecto,
id est quattuor pedibus dactilicis nulla remanente syllaba.

Imis visceribus quem diligit ut decet ille,
Ille suus memoris memorem fore.
Musa tuos nostra tendit lustrare penates
Fertque tibi caro sua carmina.
5 Hanc precor excipias modico pro tempore secum,
Cernere quo fratris faciem queat
Illius, metrum cui scribit in anteriori
Limite conscriptum velut inspicis,
Audaci similis quæ talia cudere temptat,
10 Qualia non docuit bonitas tua.
Non docuit dico modicum quia me scio nosse
Quod tua non tribuit michi gratia.
Ast si mens proprio studio quid continet ad te
Principium refero sicuti decet.
15 Sit licet ingenii clari quis, ni tamen assit,
Huic simul et studium, minimum valet,
Verum cum studium simul ingenio sociatur
Hoc fit conjugio sapiens homo.
Hactenus hæc metrum quod retro conspicis ima
20 Prospicit incedens humili pede;
Sunt alii quorum transcendunt carmina cælum
Etheris hisque placet locus altior,
Nostra solo recubant quo pabula sumere quimus,
Scandere nanque timent loca cælica,
25 Tutius esse puto per terram serpere, quam sic
Montibus ascensis retro currere;

Quo locus altior hinc major metuenda ruina,
Possumus ast humili cito surgere;
Nos heremus humi, recubamus margine terræ,
30 Floribus in minimis requiescimus,
Ut cedri myrtas, saliuncas anteit ulmus,
Cætera sic metra tua carmina.
Mus[a] comes igitur cur tanto phylosophorum
Mittere carmen non trepidas tuum ?
35 Nescis cui loqueris, loqueris per carminis hujus
Ambages, precor hunc, precor inspice.
Is tibi monstravit, dedit instrumenta sophiæ,
Omnia quæ nosti tibi contulit,
Pneumatis auxilio sacri, qui spirat ubi vult
40 Largiter infundens sua munera.
Ergo rependе vicem, totis hunc dilige mentis
Nisibus atque pio tege pectore.
Dic, felix genitrix, ex cujus prodiit alvo,
Flos tam præclarus redolens ita,
45 Cujus odor mundi perfundit climata, cujus
Fama poli dudum tenet atria,
Cujus vita piis est exemplar bonitatis,
Cujus doctrina subit æthera,
Cujus laus rutilat cœtus inter monachorum,
50 Quemque sophya regit, replet utraque,
Fervidus in Xpicti præ cunctis semper amore
Diligit et fratrem socians sibi,
Sensu conspicuus, verbis diffusus et inde
Consilio prudens, animo vigil,
55 Cunctis ornatus virtutibus intus et extra,
Cujus quæ sit mens habitus docet,
Quam sit sincera vultus monstrare serenus
Novit et in faciem patet omnibus,
Terrea dum calcat, dum cælica sola requirit,
60 Quis sibi præsideat satis indicat.

Sed metam figens jam nunc concludere tempto,
Istius laudem referens ita :
Quam prudens, justus, fortis sit sive modestus,
Inspice non famam sed et intima,
65 Certa fides, fixa spes ac dilectio pura
Sacra tenent hujus loca pectoris.
Ergo finem faciens huic tantum ferre salutes
Nolo jam renuas, precor, obsecro,
Musa benigna comes, dulcedine capta sophyæ,
70 Quæ mea dulcedo, mea gloria.
Quot sol fert radios, quot languet luna nomentis,
Quot spaciis ambo coeunt simul,
Quot pedibus solis concluditur ambitus extra,
Quot Phebes itidem patet ambitus,
75 Quot stadiis speculatur sydus utrunque,
Quot metæ propriæ peragrant loca,
Quot cursus horis sociorum quinque pererrant,
Quot variis signis polus emicat,
Quot stellis rutilant Aries, Cancer, Leo, Virgo,
80 Quot Gemini, Taurus, Libra, Scorpius,
Quot Capricornus, Piscis, Aquarius, Architenensque,
Quot Pliades etiam Yades quoque,
Quot nunc Arctos, Artofilax, Arturus, Orion,
Quotque polus zonis manet obsitus,
85 Quot volucres aer aut nubes sustinet in se,
Quot varias arcus species tenet,
Quot cæli ventos aut grandinis esse lapillos,
Quot constat guttas pluviæ fore,
Quot pisces in aquis littus, quot servat harenas,
90 Quot ventus fremitus maris excitat,
Quot tellus flores aut florum spargit odores,
Quot vallis quævis lapides tenet,
Quotque feræ silvis aut silvæ ligna retentant,
Quot foliis nemorum domus emicat,

95 Quot pecus omne gerit in pellis tegmine setas,
Quot species constant animalium,
Quotque tibi littras hæc lucida pagina gestat,
Quot carmen totum pedibus fremit,
Quot baratrum, zabulos, homines mundusque reservat,
100 Quot polus observat sacra pneumata,
Quot sunt quæcunque numerus concludere quibit,
Quot ratio numeri numeros docet,
Tot nunc suscipias quæ fert tibi musa salutes,
Tot titulos laudum tibi concinit,
105 Tot tua mens niteat virtutum floribus intus,
Tot gliscit semper tibi carmina,
Pectore quanta meo tua sit dilecti care,
Cum legis hoc carmen reor inspicis.
Verum jam valeas, valeas ut mens mea querit,
110 Xpictus et ipse precor tibi sit salus. Amen.

Ter decies binis ter senis terque quaternis
Nummis emit ovis pellem quam vendidit hircus,
Novit ut hoc aries ferit illam pelle retenta,
Saucia pelle caret precio vis frigoris urit;
115 Hæc quorsum spectet michi dissere docte figura.

Sunt tria quæ faciunt hominem quemvis sapientem
Ingenium, doctrina viri, meditatio jugis.

IX

Cujus mens atri nil fert rescriptio fratri.

Pectore quem toto gerit omni felle remoto,
Rodulfo juveni vultus animique sereni
Stephanus intentum fore doctrinis sapientum.
Nobis invitis sullimia carmina mittis,
5 Talia nollemus jam qualia scripta videmus.
Nos iracundos dicis, nos esse superbos,
Jam locus est satire scribis quod subditus iræ
Erga claustrales irascor sepe sodales,
Jus in me vere sed parvum fertur habere
10 Prisca superbia nunc sapientia me mea purget.
Talia scripsisti michi, talia scripta dedisti,
Hæc quia prudenter sunt edita cerno libenter,
Sermo tuus clarus michi nunquam constat amarus,
Turgidus ut ratione piatur, sic ergo fio.
15 Perlustrans tua dicta, quibus jam nil valet addi,
Talia quis dixit tibi vel sub pectore fixit,
Qualia scripsisti michi vel jam scripta dedisti?
Est reor ille meus preceptor dogmate clarus,
In quem forte reus nunc sum cum sit michi carus.
20 Sed Deus æternus hunc conferat esse benignum
Semper, ut est dignum, ne serpens ille veternus
In proprium morem nostrum convertat amorem,
Auferat ardorem mentis sanctumque vigorem,
Donans torporem cordis miserumque teporem,
25 Fundens rancorem menti tribuensque furorem,
Ingerat horrorem, temptans inferre dolorem,
Portans merorem cordi stultumque pavorem,
Addat livorem, totum depellat amorem.

Si quid peccavi nostrum cum forte rogavi
30 Mitteret ut bellum me jam frendente libellum,
Obsecro per Xpistum, qui mundum condidit istum,
Ut michi nunc veniam det, amicus quo sibi fiam.
Fabrico scripta quidem quæ Clio gestet eidem,
Te monachum fieri nolo jam sollicitari,
35 In studiis cleri cupio nunc te remorari;
Tempus adhuc restat, te nullus et inde molestat,
Discere te glisco quæ tempore nescis in isto.
Estas præteriet ventura, vel altera fiet,
Tertia lustrabit terras prius hasque piabit,
40 Quam monachi pullam videaris ferre cucullam,
Quam tu transmutes habitum studiumque refutes;
Victum nam scribis inter quos degere scisti
Dant, tibi vestitum nos demus ut ante petisti.
En tibi transmitto nummos nimium rutilantes,
45 Hos precor accipias omnes te lætificantes,
Et Gisleberto tribuas qui fit tibi papa,
Ex ipsis tibimet ematur ut optima capa.
Iracundum me scribis simul esse superbum,
Ut reor hæc vitia non norunt pectora nostra,
50 Constantem credo memet non esse superbum,
Omnis qui constans extat, trepidat nichil ille,
Verum qui tumidus semper timet atque cupiscit.
Ardua non timeo, cupio non, ergo superbus
Nec sum, nec quæro fore; jam dilecte valeto.

X

Magni Thedbaldi mortem dum carmine plango,
Mortis conditio quam dura sit ordine tango.

Mortem sentire, mortalia jura subire
Lex est cunctorum reproborum sive piorum.
Hæc sibi substravit quicquid natura creavit,
Hæc quicquid vivit sibi soli subdere quivit,
5 Hæc nullum spernit quem vitam ducere cernit.
Hujus jura fremunt super omnes, omnia demunt,
Hujus nec reges possunt effringere leges,
Hujus non quires lector dirumpere vires.
Huic cedit dives, quæ novit sternere cives,
10 Huic pauper cedit, sapiens et stultus obœdit,
Huic collum flectit, quem labes carnea nectit.
Hanc Adam primus subiit, cunctique subimus,
Hanc dedit in signum vetitum, lacrimabile lignum,
Hanc subiit sortem, qui pertulit in cruce mortem,
15 Hanc Xpictus scire voluit voluitque subire,
Hanc sed calcavit ad vitam cum remeavit.
Cum post surrexit propria se carne retexit,
Dans fundamentum fidei turbis morientum,
Ut veniam poscant cum sese vivere noscant
20 Istam post mortem, post dignam carcere sortem.
Hanc subiisti nec valuisti tempnere leges,
Quam subierunt nec valuerunt frangere reges,
Qui meritorum laude suorum nunc celebrantur,
Qui pietatis vel bonitatis jure beantur.
25 Magne Thebalde pater, inopum fidissima mater,
Laus, decus Anglorum, dignissime præsul eorum,

Tu lux justiciæ, tu fons, tu norma sophyæ,
Stegmate non humili genitus, nec germine vili,
A puero clarus studiis discernere gnarus,
30 A falso verum, quæ sint discrimina rerum,
Quæ virtus numeri, quæ scit sibi cuncta deberi,
Aut quem jure locum teneat proportio vocum,
Seu quot mensuris stet mundus, quotve figuris,
Quæ lex astrorum, quæ vis, quis cursus eorum,
35 Instrumentorum doctus virtute duorum.
Ter senos soles transibat tunc aperilis
Phebus cum tauro binos, cum menbra senilis
Corporis hic linquit, petit æthera mensque virilis.

XI

Librum de Sinodis, quem fecit Pictaviensis
Hilarius, Stephanus conscripsit Rothomagensis,
Illius finem decoravit versibus istis,
Quos tamen abrasit livor bona cernere tristis.

Conspicis extremam nos lector figere metam,
Nam pede succiso persolvit penna dietam,
Scriptorem tandem tu noscas esse poetam,
Librum qui scripsit, qui fert synodalia dicta,
5 Quem tibi demonstrat hæc pagina retro relicta,
Promere quæ vera novit, non dogmata ficta.
Doctor famosus Hilarius ingeniosus,
Ingenii cujus monumenta voluminis hujus

Prætendunt belli quos edidit ipse libelli.
10 Qui Pictavensis præsul discindit ut ensis,
Quoslibet hereticos sibi quos fore tempnit amicos,
Exilio trusus, cæli super atria fusus,
In thalamis scandit cælestis phylosophyæ,
In quibus et mansit donec secreta sophyæ
15 Pectoris hauriret sacris purisque latebris,
Quatinus hæc quiret hominum proferre tenebris.
Inde quidem sumsit quod post septemplice rivo,
Plenus depromsit hæc scribens famine vivo,
Quæ tibi presentat istud sublime volumen,
20 Dans fidei lumen quod inania corda retentat.
Exul præclarus cælestia mella bibebat,
Hæc cum scribebat, quod quibit noscere gnarus,
Orator similis hujus nullus reperitur,
Quilibet inspicitur hunc, si vis cernere vilis
25 Rethoricos flores, hic rethor noscere quibis.
Hujus sermones cum tota mente videbis,
Cognosces mores, ejus secreta subibis,
Hisque fidem dones et tunc non laude carebis,
Subditus exores Dominum, tunc doctus abibis,
30 Si mentem pones studiis Xpictumque tenebis
Pagina cernatur, sed rusticus amoveatur.
Binis cassa modis oratio nostra notatur,
Aut quia peccato mens gaudet subdere colla,
Vel quia nec fratri peccanti debita donat.

XII

Hos versus socio misit mea florida Clio.

Non nova scripta seris cum carmine carmina queris,
Hoc volo credideris, non nova scripta seris.
Hoc genus invaluit jam multis notificatur,
Dum teritur scolis hoc genus invaluit.
Hoc michi jam patuit metrorum jura notanti,
Rimanti versus hoc michi jam patuit.
Vix reor invenies genus amodo versificandi
Ignotum nobis, vix reor invenies.
Abdita jam renitent, splendent archana sophyæ,
Omnia rimamur abdita jam renitent.
Diligit hæc animus postponit quælibet istis,
Lætus non tristis diligit hæc animus.
Ardet amore gravi penetrare secreta sophiæ,
Talibus in studiis ardet amore gravi.
Cætera vana michi videntur, sola sophia
Dum placet effecit cetera vana michi.
Hæc animum retrahit ne per mundana vagetur,
A mundi curis hæc animum retrahit.
Hæc docet in studiis divinis ponere mentem,
Desudare sacris hæc docet in studiis.
Hæc animis tribuit vere virtutis amorem,
Ne vitiis faveant hæc animis tribuit.

XIII

Ecce dies rutilat super ætheris astra,
Luminis hæc gnara perlustrat cælica castra,
Fulget ubique dies, fame diffundit odorem,
Qua dignus decies monachus conscendit honorem.
5 Ista namque die fit ovis pastor monachorum,
Filius æcclesiæ pater extat nunc aliorum,
Filius ipse pater simul est et filia mater.
Hic pastor factus, pastorum gaudia nactus,
Contempnit vallem, scit montis scandere callem,
10 Tendit et ad montem purum cognoscere fontem,
Cælica rimari, cælestia præmeditari,
Linquere terrena, saciari divite vena.
Et sciat æterna, careat jam sorde veterna,
Culmine virtutum persistat valle relicta,
15 Menteque non ficta scit montem scandere tutum,
Pneumatis ut sacri dapifer factus Michaelis,
Abluat in cælis cor summi fonte lavacri,
Et videat Xpistum, mundo qui præsidet isti,
Ac patrem Xpisti cum sacro pneumate mixtum.
20 Si genus istius vel mores noscere quæris
Hic breviter studeo verbis depromere veris:
Hujus uterque parens præclaro stegmate nati
Inter concives præ multis sunt venerati,
Hunc aluit puerum Normannia terra celebris,
25 Parisius fecit cecis exire tenebris,
Cum casu casum docuit conjungere dudum.

DIALECTICA

Reddidit ad Socratis perplexa sophismata nudum,

RETHORICA

Rethoricis junxit Ciceroni, Quintiliano,

ARITMETICA

In numeris Samio, Nichomaco vel Veterano,

GEOMETRIA

30 Atque geometris cælum terram metiendo,

MUSICA

Musis jure tonos jungendo seu modulando.

ASTRONOMIA

Astrorum cursus lunæ solisque recessus
Mente vigil didicit, haut unquam corpore fessus.
Omnibus instructus doctrinis phylosophiæ,
35 Nec minus imbutus sacratæ fonte sophiæ,
Fervidus ingenio, nec segnis ferre laborem,
Lingua facundus, ad Xpisti pronus amorem,
Omnibus ornatus virtutibus, unde favorem
Cunctorum meruit ac tantum scandit honorem.
40 Sed quid honor mundi, quid opes, quid gloria carnis?
Num salvare potest animam terrena voluptas,
Purpura gemma nitens, splendor præfulgidus auri ?
Ex his quid secum mens defert carne sopita,
Nil nisi pro vitiis pœnas, pro carnis amore
45 Tormentum, pro læticia jam tristia cuncta,

Sic quicquid mundi gustavit terrea cordis
Dulcedo, veniens mors fert in amarum,
Secum virtutis nil detulit, ergo quid intus
Constabit meriti cum deforis omnia quærat,
Virtuti studeat, postponat terrea cuncta,
Si cæli celsum scandere gestit iter.

XIV

Talibus instructus præceptis mystica cernis,
Si studii fructus nequaquam carpere spernis.

Qui cupis archana rimari phylosophyæ,
Certans secreta summæ penetrare sophyæ,
Hæc præcepta tuæ claustris amplectere mentis;
Nec tua servare mens temnat verba monentis,
Quæ tibi præcipio dudum faciendo probavi,
Nil tibi propono quod non prius ipse notavi.
Audiat in primis qui querit phylosophyam
Pectoris ex imis quod certet amare sophyam,
Viribus hanc totis tu semper dilige, frater,
Omnibus et votis quam temnit spiritus ater,
Omnes affectus flagrent ex ejus amore,
Prodivum pectus sit in hoc nullo meliore,
Res tibi sit nulla dum vivis carior ista,
Nam non est ulla sub cælo celsior ista.
Hæc immortalis animam semper comitatur,
In terris talis profecto nulla notatur,

Non valet equari lapis huic, aurum, neque vestes,
Ex hoc præclari sapientes sunt michi testes.
Sit tua mens humilis, mitis, tranquilla, serena,
20 Sisque tibi vilis, si scandere quæris amena,
Vilior es quanto tibi cum secreta sophyæ
Rimaris, tanto tua mens calet igne sophyæ.
Spiritus est siquidem mitis sapientia Xpisti,
Est placidus pridem quod forsan carmine scisti,
25 Ergo sis humilis, contendens mystica nosse,
Sis animi stabilis, juxta proprium tibi posse,
Simplex ac mundum cor nitens semper habere,
Ex oculis mundum mentis satagens removere,
Ne pro mundana spargatur mens tua serva,
30 Pellas ut vana toto de corde reserva,
Ac sic in mentis thalamo semper requiescens,
Ex condimentis quæ dat sapientia vescens,
Abdita rimari, penetrare secreta sophiæ,
Omnia scrutari, reminisci phylosophiæ.
35 Sit tibi dum vivis studium, sit cura perhemnis,
Si fieri civis nunquam super æthera temnis,
Cuncta super Xpisti tua mens fervescat amore,
Dum vives, isti casto subjecta timore.
Hinc studio digno studeas te semper amare,
40 Hoc etiam signo certa tibi quenque ligare,
Spesque, fidesque pia lateant sub pectore puro,
Undique justicia septus pro perpete muro,
Ne thalamum mentis hostis tuus ingrediatur,
Jugiter augmentis virtutum qui insidiatur,
45 Hunc valvis claudi thalamum binis volo cernas.
En que sint audi ne talia discere spernas,
Aut cupis atque times terrenum quodlibet intus,
Qui Zabulo limes intranti fit laberintus,
Ut semel ingrediens mentis vix claustra relinquat,
50 Ni Deus aspiciens hinc jusserit ut sua linquat

Atria sicque suum ejus sub corde timorem
Imprimit atque suum illi largitur amorem.
Ergo, precor, studeas ut mens tua subdita Xpisto,
Hunc solum timeas amor atque tuus stet in isto.
Quæ tibi diffuse dixi jam nunc breviabo,
Ad finem Muse breviter prædicta notabo,
Xpicti servitium tuus ordo sit, tibi cura,
Jugis et hinc studium anima tu dilige pura,
Talia si facies, fateor quod et alta sophiæ
Dogmata percipies ac fontem phylosophiæ.

XV

Hi versus studium describunt omne legendi,
Formant ingenium meditanti vel retinendi.

Pythagoras, decus ac nitidus fons phylosophiæ,
Mente sagax, vigil ingenio, sermone disertus,
Virtutes animæ primus tres esse notavit;
Namque voluntatis vim cunctis sensit inesse,
Hinc intellectum perspexit acumine mentis,
Post memorandi vim posuit; quæ tertia prima
Est, animi motus quem cogere non valet ullus,
Ut non admittat vel temnat quod placet illi;
Estque sequens per quam presentia mente videmus,
Tercia per quam nos reminiscimur anteriorum.
Hæc pretiosior est, nam continet utilitatem
Omnis doctrinæ, quia sicut nil valet illi

Quodlibet audisse, qui noluit atque nequivit
Hoc intendere, sic non prodest quodlibet illi
15 Intellexisse, qui non potuit retinere.
Hanc ergo studeas toto conamine mentis
Exercere tibi dico quod ad alta sophyæ
Culmina pervenies hoc ut retuli faciendo.
Quis modus existat primum cognosce legendi,
20 Hinc tibi demonstrabo modus quis sit meditandi.
Cum librum manibus gestas, cognoscere temptans
Littera quid claudat, pertracta singula verba,
Sedulus intende quid clamet dictio quævis,
Omnia discerne nec syllaba prætereatur,
25 Quid dicatur ibidem vel quid senserit auctor
Discute, sicque sequentia præcedentibus addens,
Invenies fateor citius quid senserit ille.
Si vero lateat jam sensum proximiorem
Arripe, quem fidei sanæ tibi regula dictat,
30 Et quid de Xpicto vel corpore senserit ejus,
Aut Zabulo menbrisque suis intellige cautus,
Quid moneat, vel quid doceat, vel disserat atque
Præcipiat, vel despiciat, laudet caveatque,
Quid reseret, claudat, affirmet vel reprehendat,
35 Proponat, solvat, scrutetur et exprimat, audi;
Intuitum mentis confirmat lectio talis,
Pagina discussa tali moderamine prodest.
Quis modus existat jam conspicis ecce legendi,
Inspice nunc quis sit retinendi vel meditandi.
40 Cum legis observa qua constet parte libelli,
Quod legis in fine, medio vel parte priori,
Pagina sit qualis, cujus membrana coloris,
Quam sit atramentum nigrum vel littera quanta,
Adjuvat hoc multum scripturis mente tenendis.
45 Per partes etiam quævis sententia secta,
In claustris mentis citius poterit retineri.

Nec tua lectio sit vaga, sed stabilis quia talis
Excecat mentem, sed libros perlege quæso
Unum post alium, quia mentem lectio talis
50 Firmat et ingenium fervens hæc reddere novit.
Verum nunc videas meditandi quis modus extet ;
Certum constitue tibi tempus quo meditari
Quæ relegis valeas, hoc multum nam tibi prodest.
Nam quod agit pastus animalibus hoc tibi confert,
55 Lectio ruminat hoc, agis istud dum meditaris,
Namque parum prodest pasci ni ruminet illud
Lectio, sic tibimet ni quæ legis hæc mediteris.
Est siquidem meditari volvere corde frequenter
Sanctum quid quærendo vel scrutando quid extet,
60 Quid dici queat hinc, alius quid senserit inde,
Principium vero meditandi lectio constat.
Lectio sic meditatio perficiunt sapientem,
Si tamen ingenium simul et studium comitentur.
Discute quæque legis, quid dixerit ille vel ille
65 Intuitum mentis quo flectat quidve resolvat,
Quid queat huic obici, vel possit quo modo solvi,
Ex verbis hujus quot sensus surgere possint,
Talia scrutando conscendis ad inspiciendum
Ingenii lumen verum fontemque sophyæ.
70 Sunt et adhuc tria quæ volo toto pectore serves,
Nam fundamentum sunt omnis phylosophiæ,
Primitus ut nullæ scripturæ sint tibi viles,
Discere quæ nescis a nemine ne verearis,
Non spernas alios cum quid tibi scire videris.
75 Hæc tria custodi, super hæc fundamina scande,
Quæ tibi studiis produxi phylosophiæ.

XVI

Hic quam subtili quantave sit arte loquendum,
Carmine non vili te lector credo monendum.

Carmen de studio meditandi necne legendi
Nuper conscripsi simul et studio retinendi,
Nunc placet effari formam modulumque loquendi.
Qui novit legere, meditari vel retinere,
5 Ista loqui nosse decet hunc ac talia posse.
Si clavis desit, thesaurus quid michi prodest,
Si desint verba, quid prævalet ulla sophya ?
Pandat clavis opes, reserent et verba sophyam,
Sic prosunt aliis quæ primum clausa latebant.
10 Bis duo sunt quibus instruitur censura loquendi,
Primitus est lingua quæ format singula verba
Dentibus atque palato conexis labiorum
Motu conjuncto moderato, quattuor istis
Formantur verba quîs sensus panditur omnis.
15 Nam signum quodvis, sicut designat id unde
Fit signum, sic sunt animi signum tua verba,
Hoc etenim sonat in labiis quod corde revolvis.
Qualis es interius, talis monstraris in ore,
Si sapiens, si stultus eris, sermone patebit,
20 Sermo namque tuus, vocem dum mittit ad aures,
Indicat hoc aliis quod mens tua continet intus,
Quantum subtilis, vel hebes sis, sermo notabit.
Et quia verborum quæ promis vox sonus extat,
Non parvo cura studio sit qualis et ipsa ;
25 Rauca nec asperasit, sed dulcis necne suavis,
Dulcis enim mulcet animum, sic aspera turbat,
Hæc auditorem placidum facit atque benignum.
Illa quidem reddit ingratum, tedia confert.

Clara sit ergo vox, mitis, gravis et moderata,
30 Linguæ sit motus firmus, levis atque modestus,
Huic similem servet labiorum parvus hiatus,
Hæc tria vox, labia, cum lingua verba ministrant,
His instrumentis formantur singula verba.
Impedit et ligat hæc ac turbat multa saliva,
35 Quæ studio multo reprimenda vel extenuanda est,
Unde tibi vini potus magis est moderandus,
Illigat hoc nempe linguam turbatque cerebrum ;
In cerebro sensus in lingua verba notantur,
Ergo devita ne quid perturbet utrumque.
40 Accipe nunc breviter que sint tibi mente tenenda,
Ante tui cordis oculos quæ semper habenda.
Artis rethoricæ partes, ut Tullius inquit,
Existunt quinque, sapiens quibus utitur omnis,
Nam quæ dicantur sunt primitus invenienda,
45 Hinc disponenda, jam tunc in corde notanda,
Post retinenda, dehinc ex ore tuo recitanda.
Hæc sunt quæ potius servantur in arte loquendi,
Fontibus ex istis omnis facundia surgit.
Hæc vigili studio meditanti corde revolve,
50 Intuitus mentis versetur semper in istis.
Tunc cernes, fateor, quid claudant utilitatis,
Cumque loqui tecum disponis cuncta notato,
Et quid, vel quando, vel ubi, vel quomodo, vel cui
Fari conveniat animo circonspice toto.
55 Ast tunc, dum loqueris, hæc sunt circonspicienda :
Precipue membra tunc condecet esse quieta,
Ne puerilis in his sit motus non gravitatis,
Vultus sit lætus, humilis, gravis atque serenus,
Vox dulcis, clara, suavis, perfecta, modesta,
60 Linguæ cum labiis motus firmus facilisque,
Verba quidem lecta, splendentia, firma, venusta,
Unum post aliud, sine saltu, tramite recto,

Absque mora, non interrupto jure loquendi,
Accentuque suo decoratum currat ut unda,
65 Leniter æquali vocis moderamine juncto
Syllaba formetur proprioque sono recitetur.
Sic sensum, verba, sic cætera cuncta notando,
Dicendique modos animo circumspiciendo,
Tunc oratoris opibus instructus et oris
70 Laudibus innumeris a cunctis dignus haberis.
En, reor, ostendi formam modulumque loquendi,
Depinxique satis quid conferat utilitatis.

XVII

Parvus tractatus pingit quid sit monachatus.

Sepe sed et multum mentis circumfero vultum,
Sub monachi pulla quæ constent cerno cuculla,
Quid sit nomen idem vel quid monachatus eidem,
Quid sibi servandum, venerandum sit vel amandum,
5 Hæc tria dissolvi vellem quæ mente revolvi,
Hæc tamen ut potero breviter me solvere spero.
Est monachus factus qui mundi respuit actus,
Qui normam sequitur Benedicti, qua reperitur
Formula vivendi vere Dominumque colendi ;
10 Est monachatus ei speculum veræ requiei
Sub qua procedit, propter quam servit, obedit.
Sunt tria quæ servet, si cælum scandere fervet,

Illorum normam quorum vult ducere formam,
Servitium Xpicti venerandum fiet et isti,
Diligat et diam meditari phylosophiam.
Hæc tria servare semper studeat vel amare,
His animum subigat in talibus intima figat,
Istis intentus sit jugiter hisque retentus,
Hæc ejus meditatio fiat et hæc sibi vita.

XVIII

Cur A ponatur primum mea pagina fatur.

Omnibus in linguis A littera prima notatur
Hoc ideo quod vox nascentum prima sit ipsa,
Hanc flens præmittit, uteri qui claustra relinquens,
Has terras, mundi tenebras, tristis, miser intrat,
Hæc lex naturæ cunctis præmittere fletum,
Luctum dat quisquis in carcere nascitur isto,
Vaticinatur enim quantus labor hic sibi restat.
Hanc legem solus Zoroastres Bactrianorum
Rex fregit, magicam qui primus repperit artem.
Hic siquidem risit, cum mundum cernere quivit,
Nec tamen hinc major fuit illi gloria mundi.
Ninus enim rex Assiriorum maximus ille,
Qui primus bello medium sibi subdidit orbem,
Nomine de proprio Niniven qui condidit urbem,
Quique suum patrem Belum sub honore deorum
Primus inaudito venerari crimine jussit,
Uxor cujus erat famosa Semiramis illa,
Coctilibus muris que conclusit Babilonem,
Hunc lacessitum forti certamine vicit.

XIX

Quot species præstat livor membranula gestat.

Invidiæ tres sunt species, quæ sint tibi pandam :
Tangimur invidia dum quis præcellit honore,
Aut aliquem nobis æquari si videamus,
Aut ne conscendat quivis quo jam residemus.
Quæ tria devita quo sursum sit tibi vita.

XX

Virginis absque pari sub festo quid recitatur,
Quod subiit Jesus castellum conspiciatur.

Intravit Jesus castellum virginis almæ
Alvum cum subiit, castellum constat habere,
Turrem, murum, quæ defendunt mutuo sese.
Virginitas murus humilis, mens turris erat, quæ
Mutuo sic sese vallabant semper, ut hostis
Antiqui tela neutrum perrumpere possent.
Suscipit hunc Martha, pedibus sedet illa Maria,
Martha ministrat ei, verbum docet ille Mariam,
Martha laborat et hæc animo bibit alta sophiæ.
Activam vitam designat Martha, Maria
Contemplativam, quas vitas virgo Maria
Plenius in sese, quam quælibet altera gessit.

Altera vel vestit nudum, vel pascit egenum,
Hæc dominum cæli vestitur carne sacrata,
Nutrivit, pavit, lactavit, ut hoc sibi dici
Posset : Turbaris et multum sollicitaris.
Contemplativæ sic vitæ carpere fructus
Noverat, ut similis sub cælo non foret illi,
Nec Xpicti pedibus sedet hæc, immo caput ejus
In gremio refovens, cælestis mella sophyæ
Ebibit et gustat mellito gutture mentis.
Quid quæso sibi de cælestibus obtegeretur,
Quæ cæli totam gestabat ventre sophyam,
Namque sophya Dei Xpictuc cognoscitur esse.
Ergo quæ Xpictum sacro gestavit in alvo,
Quicquid dignum stat noscendi noverat ipsa.

XXI

Primas designa littras cum mente benigna.

Sepe tibi carmen propono mittere care,
Olim consueto cupiens sudare labore,
Tedet sed musam citharam modulando sonare,
Friget amor metri, vero mens ardet amore.
Emicat in latebris ejus lux vera sophie,
Lubrica dum tempnit et prospicit e regione
Postponit vanas ambages phylosophie,
Ut puri fontis latices cum relligione

Hauriat et tali valeat potu satiari.
10 Doctorum scripta cælesti rore referta,
Audet rimari studioque pio meditari,
Omnia vana fugit, divina luce reperta,
Nacta cibum solidum mundi remanet sine cura,
Respicit æterna, contempnit monstra marina,
15 Vultum suspendit in contemplando futura,
Sic valeas pandens quo currit nostra carina.

XXII

Inspice juncturas si versus noscere curas.

Transilit hic Cicerónem, sed nec cedit Homeró,
Lingua tacet Catónis, nam subit huic quoque Plató,
Vincitur hic Lucánus, Aristoteles, Maro, Tuccá,
Istum nec divíni norunt vincere riví,
5 Ambrosius, Jerónimus, usti fulmine veró,
Splendidus Augustínus, Gregorius duo justí.

XXIII

Metrum asclepiadeum quod constat ex spondeo, duobus coruambis, pyrrichio vel iambo.

STEPHANUS RODULFO

Ad te dirigimus carmina frigida
Bellos versiculos non resonantia,

Cujus suscipimus carmina fervida
Dignis versiculis alta canentia.
Excelso loqueris maxima famine
Flagrans hæc studium commonet edere
Gentem sydeream mentis acumine,
Haut extans neglegens amodo scandere.
Intras æthereos jam thalamos poli,
Karus cælicolis hic valet aspici,
Linquit qui simili calle luem soli,
Mundanis renuens fecibus infici,
Ne mentis radiis fomine languido
Obtunsis simul et pulvere terreo,
Primum jam careat flamine vivido
Quod mentem sociat perpetuum Deo.
Rimari cupiens pectore fervido,
Scripturas studeat crimine carneo
Tergi sicque suæ mentis in impetu,
Verum conspiciet lumen et in penu
Xpicti clara bibet vina carens metu,
Ymnizans modulos huic sobrio genu
Zacheum superans cordis in impetu.

XXIV

Metrum gliconium, constans ex spondeo, coruambo et pirrichio.

Dum considero quis fuit
Mundus temporibus patrum,
Quantæ justiciæ, simul
Virtutis, sapientiæ,

At nunc qualiter occidat,
Defectum libet illius
Tali plangere carmine.
Mundus qui fuit inclitus
Sensu, divitiis, fide
Prisco tempore jam ruit,
Omnis relligio cadit.
Jam nunc, proh dolor! hic furit
Immundi Zabuli manus.
Nam pugnant simul omnia,
Nullus diligit alterum,
Sed cunctos odium replet
Et discordia dissecat.
Nescit parcere filius
Patri vel pater unico,
Fratrem qui valet opprimit,
Xpicti rarus amor manet.
Vix hic invenies Deum
Profecto Deus est amor,
Verum vix amor hic manet,
Ergo vix manet hic Deus.

XXV

Metrum iambicum anacreuntium, constans dimetro catalecto repetito.

STEPHANUS SUO RODULFO

Sapientiæ secreta
Penetrare mente pura

Sibi tempus ad legendum
Breviatur, dum paulatim
Tibi jugis hæc sit cura,
Animus tuus ne vana
Meditetur et requirat
Proprio repelle corde.
Precor ista, namque mentis
Oculos retundunt ejus
Aciem reverberantes,
Animumque dissipantes.
Ea sola corde toto
Studeas notare semper
Tua quæ gerat persona.
Tuus atque sit profectus
Nichil intret in tuum cor,
Nisi sit Deo dilectum,
Quia dat sophyam solus,
Reserans obscura rerum,
Tribuendo lumen verum
Animæ tuæ flagranti,
Cupienti nosse cuncta
Sapiente quovis digna.

XXVI

Metrum parremiacum anapesticum, quod dimetro catalecto constat.

Nova carmina confice Musa (1),
Licet hic tibi non novus extet,

(1) Ms. *Maisa.*

Cui metrum scribere temptas,
Hunc olim nam eruisti,
5 Cognoscere nec valuisti
Ejus speciem removere,
Proprio quin pectore fixa
Tenet illius interiora.
Nam Parthonopeus in annis
10 Paridis faciem renovabat,
Tideum statura notabat.
Ast nunc in phylosophiæ
Studiis animum spaciando,
Hic ingenio fit Homerus,
15 Nec prosa jam Ciceroni
Cedit metrove Maroni.
Huic tanto phylosophorum
Cur audes scribere Clio?
Amor hoc facit, intima dudum
20 Cordis penetralia lustrans,
Tandem nunc exerit ignem,
Quem longo tempore clausum
Nec verbis promere quibat.
Verum quia fama per orbem
25 Currens proprias replet aures,
Hujus narrans michi laudes,
Huic munera carminis hujus
Michi noscas mittere dulce,
Hæc nunc si cernere tantum
30 Dignetur vel retinere.
Nam talia ferre timesco
Tanto jam phylosophorum,
Licet hæc mea munera parva
Dilectio maxima fundat
35 Quam cernere si valuisset
Reor amplius inde stuperet,

Modicum quod ego sibi notus
Hunc tanto mentis amore
Cordis complector in imis.
40 Sed me fore noverit illum
Patruus quem dulciter ejus
Enutriit instituitque,
Si diligit ergo nepotem
Hujus qui contulit ista,
45 Non multum cerno stupendum.
Sed jam valeas michi care,
Indutum quem monachilem
Me cernere spero cucullam
Cum munere pneumatis almi.

XXVII

Hæc pro tractatu, quem scripsi vituperanti,
Ludens respondi sese sciolum reputanti.

Invide tractatum talem quid vituperasti,
Cum bubone tuo flendo nunquid superasti
Rethoricos cantus mecum quos vox dat oloris ;
Ille tuus bubo gemitu fert signa doloris,
5 Leprosumque tuum sermonem jure notabit,
Quem languor proprius a nobis dissociabit.
In tenebris latitat et lucem cernere vitat,
Sic jacet in dumis lepra, fœdus sine plumis,
Ulceribus plenus, tegumentis ac alienus,
10 Frigore constrictus tolerando grandinis ictus,

Imbribus inficitur, ni subvenias sepelitur,
Aridus, exanguis, virosi jam cibus anguis,
Teter, leprosus, sine tegmine morte sepultus,
Qui tibi famosus luctus, celebratio, cultus.
15 Ast meus albus olor modulatur famina laudis,
Cujus voce dolor tibi fit dum quod canit audis,
Corpore formosus, plumis ornatus habetur,
Nudus, leprosus bubo tuus ille videtur.
Hic enutritus in stagnis phylosophiæ,
20 Fontem justiciæ clarum potare peritus,
Sentibus, urticis pressus tuus atque cruentus,
Dumis detentus avibusve clamat amicis;
Hic ferus extentum caput effert dum spaciatur,
Ast tuus arctatur timidus sub culmine sentum;
25 Hic altos sensus, quasi pisces fonte latentes,
Diripit at mures tuus inter fœda repentes;
Hic in aquis nidum statuit per quam satietur,
Sed tuus in latebris residens sitiens morietur,
Isque tuus nil scit nisive lepramque boare.
30 Artem rethoricam meus est gnarus resonare,
Hic oratorum cibus est et phylosophorum,
Esus leprosis tuus extat seu scabiosis;
Hic canit æcclesiam Xpicti cælique sophyam,
At lepræ tangit species tuus, ulcera pangit,
35 Corpore leproso sine plumis et scabioso
Incedit talis, tam fœdus, tam specialis.
Hunc tibi concedo, saniem cum pelle relinquo
Leproso, fœdo, parco mortique propinquo.
Audi jam cantus varios insignis oloris,
40 Ut clamor tantus tibi constet causa doloris,
Cum talpa cæcus tamen inspice corpore quantum
Preferat iste decus; surdus nunc accipe cantum.
In deitate patris, in sacro corpore matris
Nobilis extat homo, tractatu quem tibi premo,

45 Quidam nam solus sine crimine carne retentus,
Cui servire polus gaudet mundusque redemptus,
In cælum scandit, petit excelsam regionem,
Sic nobis pandit divinam cognitionem,
Accipit imperium mundi, regnumque paternum,
50 Armatum, fortem vincit colubrumque veternum,
Dona suis tribuit quæ quam sint splendida noscet,
Cum de talentis commissis lucra reposcet.
Nunc igitur caute divina negocia cura,
Ne tibi pro lucris detur responsio dura,
55 In mundo mundum tempnendi lucra require,
In fratrum cœtu te discito spernere scire,
Sic odisse malum pœnis lucrare malorum,
Affectumque boni respectu disce bonorum,
Contemplando Deum vitam vitasque creantem,
60 Angelicum cœtum divina laude sonantem,
Ac patriarcharum numerum deitate nitentem,
Propheticumque chorum super etheris alta manentem,
Sic et apostolicum cæli secreta bibentem,
Testes purpurei perfusos sanguinis unda,
65 Doctores fari gnaros archana profunda,
Cœtus virgineos quorum sunt corpora munda.

Inspice cæce mei quantum sit corpus oloris,
Corpus, tractatus, inspice cæce mei;
Maxima membra gerit divinæ theologiæ,
70 Sensus cælestis maxima menbra gerit.
En meus albus olor sullimi corpore fulget,
His constat menbris en meus albus olor;
Sed tuus est oculus talpæ, quo cernere nescis,
Cæcus vel luscus sed tuus est oculus;
75 Cæcus es in tenebris palpa quantum sit oloris
Corpus nilque videns cæcus es in tenebris.

Lippus es ungue tuos obtutus felle draconis,
Collirio visus lippus es ungue tuos;
Intuitus tuus est in culpa sole micante,
80 Invidus et sordens intuitus tuus est.
Cernere clara nequis alii dum fulgida cernunt.
Tu solus lippus cernere clara nequis;
Lumina terge precor livoris pelle venena,
Mystica quo videas lumina terge precor.
85 Vendere te sciolum satagis reputasque sophyam,
Si valeas, stultis vendere te sciolum,
Non michi talis eris nec eis qui celsa tuentur,
Pro vacuis verbis non michi talis eris.
Viribus ingenii tractatum dissere talem,
90 Concerta metum viribus ingenii;
Sic michi rethoricos tractando pinge colores,
Dinumera flores sic michi rethoricos.
Arte sed hac vacuus ignoras quid color extet,
Te jactas aliquid arte sed hac vacuus;
95 Nil tua mens retinet de floribus istius artis,
Tantæ noticiæ nil tua mens retinet.
Hæc docet arte loqui studiosos datque disertos,
Verbis facundos hæc docet arte loqui;
Nutriit eximios doctores flumine vivo,
100 Ac oratores nutriit eximios.
Hujus alumnus ego non parvo tempore factus,
Semper ero, fateor, hujus alumnus ego;
Hæc michi verba dedit vires tribuendo loquendi,
Quis tua lingua caret hec michi verba dedit:
105 Aspice quid valeat tractatus, disce colores,
Sermonem relegens aspice quid valeat;
Dic precor unde michi dictandi tanta facultas,
Copia verborum dic precor unde michi.
Somnia dum patior facundia profluit ista,
110 Artem sic disco somnia dum patior;

Ingenii vigilis præclarus sensus habetur,
Eloquium fulget ingenii vigilis.

Dii tibi concedant in somnis talia nosse,
Et tam prolixum tractatum condere posse,
Rethoricos doceant divino rore colores,
Hosque tuæ menti spirent cognoscere flores.
Sed veluti video tractandi flumina desunt,
Nec tibi sullimes sensus vel gratia præsunt,
Tu laberintheo nexu constrictus haberis,
Dum tribus in foliis siccus sermone teneris.
Materiam tanti tractatus adnichilasti
Indoctis verbis cum sic leprosa notasti,
Nulla tui sensus nobis vestigia pangis,
Ni quod leprosis lepram sermonibus angis.
Eloquii splendor tibi nullus, copia fandi
Nulla, nec ingenii vis, quæ canis arte notandi.
Tractatu superatus eras hinc me superare
Versibus intendis sudans mea vituperare,
Nescis quod vario depinxi carmine plura,
Hujus nec studii michi defuit anxia cura
Versiculis denis bissenis atque quaternis,
Quicquid metrorum nosti te ponere ternis,
Tam parvo numero thesauros evacuasti
Et te facundum nobis non esse probasti,
Pro miseris elegis centenis versibus ista
Ac bis vicenis respondi docte sophysta.
Nunc igitur telis in te per tela retortis
Bellum sit cujus poteris dinoscere sortis,
Prosa vel metro jam victum te fatearis,
Osque tuum claudas elinguis quo videaris.

XXVIII

Principium nostri tractatus versibus istis
Depinxi, risit quem lividus ad bona tristis.

Vis naturalis quæ sit ratio generalis,
Si sit hebes ridet, si sit acuta videt.
Hæc quod non cernit ludens discernere spernit,
Hæc quo plura sapit altia quæque capit;
Hæc alii zelat si quid se scire revelat,
Hæc cum multa legit florida cuncta legit.
Sic diversorum mentes sunt ingeniorum,
Sic natura trahit, sic vitium retrahit;
Invida tabescit cum quis pro carmine crescit,
Sedula rimatur, quod sibi jure datur.
Laudibus attollit quod verbis improba mollit,
Hec legit ut sapiat, sic bibit ut sitiat;
Mentibus in votis a se sic longe remotis,
Carmina qui dederit vituperatus erit;
Sed contempnatur quod stulte vituperatur,
Nam quod acuta probat semper hebes reprobat.
Scripsi tractatum diverso scemate gratum,
Quem livor lacerat nec tamen hunc superat;
Tractatus vivit quem lingua necare nequivit,
Livor jam cedit gloria tuta redit;
Tanti splendoris tractatus signat oloris
Corpus et hanc speciem continet ac faciem;
Quicquid fulgoris prætendit corpus oloris
Servat ut inspicies splendida materies,
Fulgentes plumas in verba micantia sumas,
Arduus incedit, mystica scripta dedit;

Vox modulis plenum, dum cantum reddit amenum,
Rethoris eloquium monstrat et ingenium;
Tractatus flores redolet variosque colores,
30 Dat cum formosis lilia pulcra rosis.
Hic vas celatum similat gemmis variatum,
Signat aquas fluvii sic nitor eloquii.
Speræ volventi stellarum luce nitenti
Hic sensu facilis conspicitur similis;
35 Nam sermo nitidus radiat, ceu lumine sydus
Vitro perspicuo purior igne suo.

O mortale genus, quid te per vana refundis,
Cur aciem mentis in tam diversa retundis;
Inspice quid sit homo, qualis, vel quare creatus,
40 Semine quo natus, cujus de morte renatus?
Limum concipitur, fit idem dum morte sopitur,
Ad vitæ portum sic finis copulat ortum,
Cum caro sit talis, tam vilis, tam specialis,
Spiritus insignis huic jungitur, qui velut ignis
45 Resplendet clarus, falsum discernere gnarus,
Hic quid sit verum scrutatur, et abdita rerum
Omnia rimatur, et mystica scire laborat.
Ipsum conatur cognoscere cujus adorat
Intuitu mentis sub trino numine lumen,
50 Viribus intentis quo totum figit acumen,
Ut raptim videat cujus sub imagine factus,
Gloria quæ maneat sibi, quam sit cælica nactus,
Dum sempiternus thalamus factus deitatis
Jungitur angelicis turmis sine fine beatis.
55 Et cum carne sua jam sursum glorificata
Munere largifluo datur illi vita beata,
Hic par natura sexu caret ac in utroque
Corpore discerni nescit muliere viroque;

In solis meritis discretio semper habetur,
60 Vir necnon mulier, rea vel reus inde tenetur,
MATHILDIS mortis vires vitare nequivit,
Attamen ex meritis cæli super atria vivit.

XXIX

Ut sol in radio nitet hæc clarissima Clio.

N. precellenti S. vinclum mandat amoris
Impressum menti ceu flori constat odoris.
Insita vis qualis tuus extet lumine sensus
Est nobis mensus nitor ingenii specialis.
5 O mens insignis, titulis super ethera dignis,
Extollenda satis qua fulget vis probitatis;
O mens sullimis, subtilis et ingeniosa,
Dicere cauta nimis, facilis, docilis, studiosa,
Callida verborum disponere jura suorum,
10 Gnara sibi florum vim sternere rethoricorum,
Ingenii splendorem tanti jure loquendo
Promere nulla periti copia sciret Homeri.
A puero doctus Cicero succumberet arte
Ingenium laudando tuum committere cartæ,
15 Osque Maronis, lingua Platonis clara sileret
Et titulorum laude tuorum victa stuperet.
Quanta scientia, quanta peritia versificandi,
Quam tibi splendida, vivida, florida copia fandi;
Sermo tibi totus redolet, ceu thuribulo thus,
20 Et sensus miros divus polit eloquii ros.

Obstupefactus ego te mente recordor amica,
Cura non modica dum tua scripta lego.

Ignotus tibi sum vultu, nec tu michi nota,
Quæ sis, vel quis sum carmine sola nota.
Nec tamen hoc aio quod versibus æquiparari
Possis ingenio nobilis absque pari.
Unda profunda maris, tu sensibus esse notaris,
Verbis præclaris, unda profunda maris.
Lilia cum violis signas et lumina solis
Das, etsi nolis lilia cum violis;
Ut diversorum fert pratum germina florum,
Mens tua sic morum gignere docta chorum;
Sidus ut in tenebris radiis scit surgere crebris,
In nostris latebris sic tua mens celebris.
Nobilis ingenii michi fons infudit amorem,
Miror splendorem nobilis ingenii;
Nomine nota michi quondam, nunc ingenii vi,
Unde tibi fateor mea scripta negare nequivi.
Pignus amicitiæ tibi sint hæc dona Thaliæ,
Est mea carta piæ pignus amicitiæ,
Sic semper valeas, si carmina cara remittas,
Mittere si vitas infero non valeas.

Gratis amor natus gratus carusque videtur,
Intus si constans affectus mente tenetur;
Si vero generis pietate propinquus habetur,
Lex ibi nature majori jure fovetur.
Excepi versus laudis multique decoris,
Bis tamen in pignus transmisi carmen amoris,
Esse tuus cupio semper specialis amicus;
Res movet id fari michi cum sis ipse propinquus,
Testatur, pingit, pandit quantum sit amare,
Os, manus, affectus meus, en valeas michi care.

XXX

Vuidoni Stephanus tria se sua semper amorem
Quæ sibi præcipuo munera fonte fluunt;
Nescit verus amor proprium mutare tenorem,
Si mutat, verus jam fore nescit amor.
5 Verus amicus amat veraci semper amore,
Fictum ficta decent nec diuturna placent;
Prætendit veri speciem falsique recondit,
Adversisque patet fictus in arte dolus.
Dum radice caret viva, cito deficit arbor,
10 Aruit hic citius fictus amicus erat.
Fortuna nulla discedit verus amator,
Fictus si careat munere finit amor.
Spes etiam lucri dum pertrahit hunc ad amorem,
Prætendit fictæ quam sit amicitiæ;
15 Ast inter veros amor hic versatur amicos,
Ut solum sibi sit pignus amoris amor.
Non spes, non lucrum vinclum constringit amoris,
Purus amor solus vincit et arcet eos.
Phylosophus quidam quæsitus quis sit amicus
20 Verus, respondit gnaviter : Alter ego.
O subtile nimis responsum phylosophiæ,
Alter ego solus verus amicus erit;
Excludit lucrum, tacet obsequium quod amoris
Sepe fit initium, sed velut umbra fugit.
25 Nullus amicus erit, nisi sit sincerus amator,
Is solus verus noscitur alter ego.
Tali securus proprios committo reatus,
Quæ meditor dico continet alter ego,

Celat consilium, nescit vulgare secretum,
30 Rebus in adversis fidus ubique manet,
Ut sibi serviri vellet sic servit amico,
Quodlibet acciderit permanet alter ego;
Nexus hic firmos pro certo novit amoris,
Quos artis pravæ solvere nemo potest;
35 Si secat aut solvit subtilis et invidus hostis,
Fictus erat fateor non fuit alter ego;
Quippe suo motu signat se pectore ficto,
Non mentis votis excoluisse fidem.
Tu vero veri discretor gnarus amoris,
40 Flectere te nunquam prævalet aura levis,
Non flatus Zephiri sternunt fremitusve Borini,
Deroget aut laudet noctua tutus eris;
Mens stabilis nescit proprio de jure moveri,
Ne labat in vitium callida legit iter.
45 Si semel admittat latebris in cordis amicum
Nexu perpetuo continet, artat eum;
Fidus amor noster sic unicus efficiatur,
Ut sic idem velle nolleque fiat idem,
Unam sic animam gemina sub carne tegamus,
50 Unum quo simus mentis amore. Vale.

XXXI

Metrum anapesticum pindaricum.

Mentis vigilis multa scientis
Unum studium constat id esse,
Ut semper sit prona notare,
Nec desistat quærere quantum
In se valeat proficiatque.
Tractat secum quanta sit ipsa,
Notat interius quid valet, ad quid,
Omnis studii vim propriæque
Cursum vitæ nosse laborat.
Melius nichil est volvere corde,
Exceptis his quæ deitatem
Referunt verbi vel pietatem,
Ortam sacro virginis alvo.
Michi volventi talia sepe
Amor imprimitur versificandi,
Tedet mentem scire volentem
Extrema sequi nec meditari,
Metris quæ det quæque ministrent
Exercitio vim sapiendi.
Tantis sudans jura loquendi,
Verborum vim nosse valebit
Linguamque suam format et arcet
Artem fandi scire loquendo,
Sic paulatim proficiendo,
Studet archanos cernere sensus,
Ut nec studiis marcida fiat,
Nec ab ingenii luce recedat.

Ad te jam nunc sermo feratur,
Hoc sit primum munus amoris,
30 Pignusque meæ suscipe mentis,
Ego namque tibi jungor amore.
Tria præcipue me tibi præstant:
Scio te dudum relligionem
Omni mentis ferre tenore,
35 Casto flagras semper amore,
In scripturis nocte dieque
Mentis radium figere nosti.
Ast nunc frater care valeto,
Oro socii sis memor ipse,
40 Requiemque michi posce labanti,
Auctor noster quam tribuendo
Concedat nos vivere secum. Amen.

XXXII

Sit sibi summa salus sociorum lux specialis,
Moribus insignis rarusque sub æthere talis,
Ingenium speciale tibi sic lingua polita;
Quæ duo præcipue michi sunt quasi fixa sagitta,
5 Quam tua sola manus versu poterit removere,
Ac medicamento metri suavis refovere.
Nam penitus retrahi nullatenus arte valebit,
Sed cordi proprio viventi semper herebit;
Sic etenim nostri vis maxima constat amoris,
10 Ut quasi vita salus sit pectoris interioris.
Munera suscepi versus dulcedine plenos,
Nudos, conspicuos tegumentis, ac alienos.
Quod scribis scribo, quod mandas hoc tibi mando,

Os nobis unum sic unum cor fit amando,
Nam tua verba notant radicem dulcis amoris;
Quîs cor dulce tuum michi vim diffundit odoris,
Nobis ore tuo profertur norma sophye,
Dum sis fons, ortus, lux, regula philosophiæ.
Sed quia verba sonant quandoque quod abdicat intus
Mens, precor observa, ne fallax sit laberintus,
Quod lingua famur mens fixum servet in ævum,
Nec sibi permittat falsum subsistere nevum;
Splendida sit facies nostri jam talis amoris,
Ac unum simus dulcedine mentis et oris.

XXXIII

Salve virgo specialis,
Necis per quam generalis
Vis omne dissolvitur,
Salve stella gignens solem,
Cujus virtus mundi molem
Creasse cognoscitur.

Virgo tribu de regali
Simul et pontificali,
Ut Lucifer oritur,
Quam intactam custodivit
Ex illa qui sic prodivit
Ut lux sole gignitur.

Eva virgo parens prima
Nos in mundi jecit ima
De sede florigera,
Nostra virgo celum pandit,
Homo liber sursum scandit
Et contempnit infera.

Illa captans deitatem
Veram perdit libertatem,
Dum serpentem suscipit,
Hæc angelo fidem dedit,
Flamen intrat, virgo cedit
Sicque Deum concipit.

Ab æterno preparatur,
Virgo mater prenotatur
Vocibus propheticis,
In scripturis occultatur,
Ab antiquis presignatur
Sub figuris mysticis.

Ille rubus inflammatus
Et intactus conservatus
Hujus est integritas,
Sed in rubo hoc ignito,
Et illeso custodito
Vera latet deitas.

Sacra virga gignit florem,
Dulcem fundit flos odorem,
Dat nucem fecunditas;
Cortex Xpicti caro pura
Et anima testa dura,
Nucleus divinitas.

Ros infudit nostrum vellus
Et ex rore madet tellus,
45 Exsiccatur area;
Ros spiritus, virgo vellus,
Æçclesia presens tellus,
Sinagoga area.

Ita vellus irroratur,
50 Jesse virga fecundatur,
Nec rubus consumitur;
Sic verbum annunciatur
Ex virgine nobis datur,
Nec uterus solvitur.

55 Hæc est archa testamenti,
Quæ in signo monumenti
Urnam manna continet:
Urna caro veritatis,
Quæ in sese deitatis
60 Vivum manna retinet.

Hæc est aurea tabula,
In qua sedet per secula
Nostra propitiatio;
Ut candelabrum luminis
65 Mens sacra fulget virginis
Ex septiformi radio.

Hæc ut mensa proponitur,
Cui panis innititur
Bissenus apostolicus;
70 Ex hac electrum nascitur,
Quod a propheta cernitur
Quo latet sensus mysticus.

Emmanuel virgo dedit,
Portam clausam nichil ledit
75 Princeps dum egreditur;
Granum parit hæc sinapis,
Hoc de monte parvus lapis
Sine manu ceditur.

Terra nostra profert fructum,
80 Prestat risum, tergit luctum
Isaac dum parturit;
Hæc est terra botrum gerens,
Quem plebs bina ligno ferens
Suspendit dum esurit.

85 Jacob scalam hanc previdit,
Per hanc Xpictus celum scidit
Ut ad nos descenderet,
Hæc serpentis caput trivit,
Hanc per viam Joseph ivit
90 Ut fratres reduceret.

Non defecit princeps Juda,
Donec Xpictus carne nuda
Dux ex ista prodiit,
Seminare verbi semen
95 Per istius carnis tegmen
Verbum patris exiit.

Hæc extat petra vivida,
Quam verbum aqua nitida
Nobis manat potabile;
100 Hæc est aurea lamina,
Quæ nomen super nomina
Fert scultum ineffabile.

De thalamo sponsus exit,
Qui sacrato sole texit
105 Suum tabernaculum,
Hinc sacerdos noster venit
Et pro vivis intervenit,
Dum defert thuribulum.

Hæc est domus Helisei,
110 Qua processit verbum Dei
Legis sequens baculum;
Hec est illud arte sectum,
Deitatis auro tectum
Salomonis ferculum.

115 Terra vermem hæc produxit
Sinagogam qui percussit
Ut arescat hedera,
Hac de terra fit altare,
Sidus nostrum regit mare
120 Illustrat et supera.

Mulier amicta sole,
Hoc est sua diva prole,
Hæc esse cognoscitur
Ecclesia cui strata
125 Ac bissenis coronata
Apostolis cernitur.

Hæc conclusus fuit ortus,
Ex quo campi flos est ortus
Lilium convallium,
130 Paradisus voluptatis,
Fons in quo stat deitatis
Et potus humilium.

Imperatrix angelorum,
Reparatrix perditorum,
135 Decus, splendor virginum,
Vas totius sanctitatis,
Templum sacrum deitatis,
Mediatrix hominum.

Inter omnes creaturas
140 Tu factura dignior,
Nato tuo sed excepto
Quo non est sullimior,
Nam commisso solo dempto,
Cum par extet homini
145 Patri par est deitate
Par et sacro Flamini.

Ora virgo ne dampnemur,
Sed implora quo salvemur
In celi palatio.
150 A peccatis emundatos,
Virtutibus adornatos
Nos præsenta filio.

Verbum patris servos audi,
Prece matris nos exaudi
155 Deletis criminibus,
Ut spiritu renovati,
Corpore glorificati
Jungamur cælestibus.

Amen.

Imperatrix angelorum,
Reparatrix perditorum,
135 Decus, splendor virginum,
Vas totius sanctitatis,
Templum sacrum deitatis,
Mediatrix hominum.

Inter omnes creaturas
140 Tu factura dignior,
Nato tuo sed excepto
Quo non est sullimior,
Nam commisso solo dempto,
Cum par extet homini
145 Patri par est deitate
Par et sacro Flamini.

Ora virgo ne dampnemur,
Sed implora quo salvemur
In celi palatio.
150 A peccatis emundatos,
Virtutibus adornatos
Nos præsenta filio.

Verbum patris servos audi,
Prece matris nos exaudi
155 Deletis criminibus,
Ut spiritu renovati,
Corpore glorificati
Jungamur cælestibus.

Amen.

3 2 14 072 053 4

CONSERVED
HARVARD COLLEGE

3 2044 072 055 499

CONSERVED

HARVARD COLLEGE
LIBRARY